

*Joseph W. Gleason* BT  
100  
AEP 7155  
999690


# DE DEO CREAMTE

ET

# ELEVANTE.

---

BALTIMORE:  
JOHN MURPHY & CO.  
1892.





## DE DEO CREATANTE ET ELEVANTE.\*

---

### OBJECTUM ET DIVISIO TRACTATUS.

1. *Objectum.* In Tractatu de Trinitate diximus de operationibus Dei ad intra; in praesenti autem Tract. de operibus ejus ad extra disputandum est, scilicet de creaturarum productione et elevatione ad statum supernaturalem. Creaturae autem triplicis sunt generis: mere materiales, scilicet mundus corporeus, mere spirituales seu angeli, materiales simul et spirituales seu homines. De Creatione in genere et de opificio mundi materialis jam dictum est in Philosophiae et Geologiae cursu; remanet igitur dicendum de Angelis et de Homine.

---

\*AUCTORES CONSULENDI: *S. Th.* Sum. Theol. i, q. 45 sqq.; *Contra Gentes*, lib. ii.

*Suarez* (1617), de Angelis, de Opere sex dierum, de Anima.

*Petavius*, de Angelis, de Opere sex dierum.

*Bellarminus* (1621), Controversiae de Gratia primi hominis, de Amissione Gratiae.

*Perrone*, de Deo Creatore; *Mazella*, *Palmieri*, de Deo Creante; *Bonal*, de Angelis, de Gratia.

*Ullathorne*, The Endowments of man; *Thein*, Christian Anthropology.

2. DIVISIO.	Cap. I. De Angelis.	Art. I. De eorum natura, existentia et dotibus. Art. II. De Angelis custodibus. Art. III. De Angelis malis.
	Cap. II. De Homine.	Art. I. De Hominis origine. Art. II. De Hominis elevatione. Art. III. De Hominis lapsu seu de peccato originali.
		Notio et possiblitas talis elevationis. Existentia gratiae et donorum praeternaturalium in Adamo. Supernaturalitas gratiae et donorum Adamo collatorum. Existentia. Natura. Effectus. Concordia cum ratione.

---

## CAPUT I. DE ANGELIS.

---

### ARTICULUS I.

#### DE ANGELORUM NATURA, EXISTENTIA ET DOTIBUS.

3. I. *Angelorum definitio : 1. quoad nomen.*

(A) *Etymologicē vox angelus (a graeca voce angelos) idem sonat ac nuntius. Hinc tribuitur, (a) Verbo Incarnato, quod vocatur Angelus Testamenti, quia mittitur a Patre tanquam nuntius, ad novum testamentum stabiliendum. (b) hominibus, qui speciali modo Deum representant et sunt veluti ejus nuntii, ut Prophetae, Apostoli, Sacerdotes, J. Baptista.*

(B) In sensu *usuali*, vox angelus designat coelestes spiritus praesertim bonos, quia illi sunt nuntii Dei, quibus utitur ad mundum gubernandum.

(C) In hoc tractatu et in sensu theologico, vox angelus significat omnes creaturas mere spirituales sive bonas, sive malas, i. e., sive bonos angelos sive daemones.

4. 2. *Quoad rem*, Angelus est substantia creata, intellectualis, subsistens et mere spiritualis.—Dicitur, (a) substantia *creata*, ut sic angelus distinguatur a Deo, qui est ens a se; (b) *intellectualis*, ut sic secernatur a substantiis materialibus; (c) *subsistens*, seu personalitate gaudens, et sic asseritur angelum esse substantiam completam, quae per seipsum suas operationes exercere valet, et esse sui juris, seu dominium habere suarum actionum. (d) *mere spiritualis*, nam etiamsi non sit absolute de fide angelos esse puros spiritus, hoc tamen omnino certum est ex Concil. Lateranensi IV. et Vaticano, quamvis quidam inter antiquos Patres videantur angelis tribuere corpus subtile, aereum vel ignitum.

### II. *Angelorum existentia.*

4. 1. *Errores.* (A) Olim Sadducaeи negaverunt existentiam angelorum “Sadducaeи dicunt non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum” (*Act. xxiii*, 8).

(B) Hodie existentia angelorum negatur non solum ab Atheis, sed etiam a Rationalistis; \* imo a quibusdam Protestantibus Liberalibus qui asserunt angelos, de quibus sermo fit in Scriptura, esse vel bonas inspirationes a Deo missas, vel homines missos a Deo ad alios erudiendos.

(C) Quidam antiqui Patres et theologi erraverunt non quidem circa existentiam, sed circa naturam angelorum, putantes eos uniri corporibus subtilibus;—in hoc decepti sunt vel a philosophia platonica, vel a quibusdam Scripturae textibus quos non recte intellexerunt, praesertim (*Gen. vi*, 2) ubi legitur: “Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores.”

---

\* Lege “The Spirits of Darkness,” by Rev. J. Gmeiner, II.

5. 2. *Thesis.* DE FIDE EST EXISTERE ANGELOS, SEU CREATURAS INTELLECTUALES A DEO DISTINCTAS ET HOMINIBUS SUPERIORES; CERTUM EST ANGELOS ESSE MERE SPIRITUALES.

*Prob. (A) Script.* In S. Scriptura multae angelorum apparitiones referuntur; siquidem

(a) tempore Adae, angelus custodit portam paradisi (*Gen.* iii, 24).

(b) sub patriarchis, angelus apparet Agari, et eamdem consolatur in deserto (*Gen.* xvi, 9; xxi, 17) angelus apparet Abrahae eumque prohibet ne proprium filium immolet (*Gen.* xxii, 11);—item Jacob videt multos angelos ascendentibus et descendentes scalam (*Gen.* xxviii, 12).

(c) sub lege mosaica, angelus praecedit castra Israel (*Ex.* xiv, 19; xxiii, 20; xxxiii, 2); apparet Gedeoni (*Judic.* vi, 12), confortat Eliam (3 *Reg.* xix, 5), Tobiam comitatur, etc.

(d) sub lege christiana, Angelus apparet Zachariae ad prædicendam nativitatem Joannis (*Luc.* i, 11) B. Virgini ad annuntiandum Icarnationis mysterium (*Luc.* i, 28);—Josepho (*Matt.* i, 20); Angeli apparent pastoribus dicentes, “Gloria in excelsis Deo” (*Luc.* ii, 13), etc.

Atqui angeli, de quibus agitur in Scriptura, sunt

(a) verae *substantiae*: nam custodiunt portam paradisi; liberant Loth, eum manuducendo ex Sodoma (*Gen.* xix, 16), custodiunt homines, Deum adorant; quidam ex ipsis peccant et in infernum detruduntur (2 *Petr.* ii, 4); porro haec omnia non possunt dici de entibus metaphoricis, sed solum de entibus realibus, de veris substantiis.

(b) sunt *substantiae Deo inferiores*, nam creantur ab ipso, et mittuntur tanquam famuli “in ipso condita sunt universa . . . . sive Throni, sive Dominationes,” “Nonne sunt omnes administratorii spiritus, in mysterium missi?” (*Heb.* i, 14; *Col.* i, 16.)

(c) sunt *substantiae hominibus superiores*, nam dicitur de homine “minuisti eum paulo minus ab angelis” (*Ps.* viii). Vide etiam 2 *Petr.* ii, 11.

(*a*) sunt *mere spirituales*, tum quia nusquam de eorum corpore loquitur Scriptura; asserit quidem angelos apparuisse sub corporali specie, non autem eos esse corpori naturaliter seu personaliter unitos (*Tob.* xii, 19); tum quia vocantur *spiritus*; atqui illa vox quando applicatur naturis intellectualibus, prout sunt angeli, designat semper substantiam omnino incorpoream, v. g. "Spiritus est Deus" (*Jo.* iv, 24); homines autem qui corpus habent, non vocantur spiritus, sed dicuntur solum ex spiritu consistere. Ergo constat ex Scriptura existere angelos, tales quales supra definiti fuerunt.

6. (*B*) ex *Traditione*. Ex Concil. *Lat.* iv dicente "qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem: angelicam videlicet et mundanam: ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam." In hac definitione, a concil. *Vaticano* confirmata, duo sunt notanda: (*a*) aperte definitur existentia angelorum, ac proinde illa veritas est de fide; (*b*) ex eadem definitione certo eruitur angelos esse mere spirituales; nam asseritur angelos distingui tum a creaturis corporalibus, tum ab homine, qui est simul corporalis et spiritualis; atqui talis distinctio fundata non esset, si angeli non essent mere spirituales:—Ergo . . . Attamen illa ultima pars non est de fide, quia Concilium nihil aliud expresse voluit definire quam unitatem primi principii contra Manichaeos.

7. (*C*) *Ratione suadetur*. (*a*) Ex ordine universi:—

Ad perfectionem universi convenit ut entia creata participant omnes diversos essendi gradus;—atqui, posita existentia angelorum, res ita se habet, tunc enim adsunt entia mere corporalia; entia corporalia simul et spiritualia, scilicet, homines,—et tandem entia mere spiritualia, angeli; e contra, si non existant angeli, catena entium completa non appetat.—Ergo.

(*b*) Ex fine a Deo intento:—Deus enim, creando, intendit creare entia sibi similia, in quantum possibile est; atqui entia Deo simillima sunt puri spiritus; homines siquidem Deo sunt similes per intellectum et voluntatem, sed tamen eum non perfecte representant, quia eorum anima est ligata cor-

pori.—Ergo convenit puros spiritus esse (*Sum. Theol.* i., q. 4, a 1).

*III. De Dotibus Angelorum naturalibus.*

8. **1.** *Angeli intellectu gaudent, hominum intellectui superiori.*—Hoc innuitur in Scriptura, ubi Thecua sic David alloquitur “Tu rex sapiens es, sicut habet Sapientiam angelus Dei, ut intelligas omnia super terram” (*2 Reg. xiv.*, 20). Juxta communem theologorum doctrinam, Angeli per ideas innatas naturaliter cognoscunt Deum, alias angelos et homines, et futura necessaria, quae tanquam effectus necessarii in causa continentur; non vero cognoscunt futura libera vel secreta cordium cum certitudine sed tantum conjecturaliter; talis enim cognitio ut proprium Divinitatis signum asseritur “Annuntiate quae ventura sunt in futurum, et sciemus quia Dii estis” (*Isa. xli.*, 23); “Tu enim solus nosti corda filiorum hominum” (*2 Paral. vi.*, 30)—Possunt pariter ad invicem loqui “clamabant alter ad alterum” (*Isa. vi.*, 3); quod faciunt, conceptus mentis proprios, non quidem locutione externa, sed libero voluntatis actu aliis angelis manifestando.

**9. 2.** *Angeli pariter voluntate libera gaudent.*

Constat ex eo quod, teste Scriptura, quidam inter Angelos peccaverint et puniti fuerint, dum alii perseveraverint et visione beatifica fruantur: meritum enim et demeritum libertatem manifeste supponunt (*2 Petr. ii.*, 4; *Matt. xviii.*, 10).

10. **3.** *Angeli sunt in loco non circumscriptive, sicut corpora, sed definitiva;* i. e. non sunt ubique, sed in determinato loco, ita tamen ut toti sint in qualibet parte loci quod occupant, sicut anima nostra tota est in qualibet parte nostri corporis. Possunt agere in diversis locis simul, dummodo intra sphaeram sua virtutis jaceant, sicut homo simul agere potest in plura objecta inter se distantia, dummodo ad ea brachia sua extendere valeat.

11. **4.** *Angeli naturaliter praestant hominibus potentia.*—Hoc enim expresse declarat S. Petrus (*2 Petr. ii.*, 11) “Angeli fortitudine et virtute sunt majores”—Quod quidem illustrari potest variis factis, v. g. “Angelus percussit in castris Assy-

riorum centum octoginta quinque millia" (*Isa.* xxxvii, 36)  
Vide etiam *Dan.* xiv, 35; *Matt.* xxviii, 2.

Quid theologice censendum est de divisione Angelorum in tres hierarchias et novem ordines? Numquid illa doctrina est dogma fidei vel pia tantum opinio?—Vide *Bonal*, 77–96; *Hurter*, 436–437.

## ARTICULUS II. DE ANGELIS CUSTODIBUS.

12. Omnes Angeli creati sunt boni, et insuper ad statum supernaturalem erecti, gratiaque sanctificante ornati:—probationi subjecti fuerunt, cuius natura cognosci nequit. Multi inter illos fideles Deo remanserunt, et ad visionem beatificam evecti “Angeli eorum semper vident faciem Patris” (*Matt.* xviii, 10); quidam vero lapsi sunt, ex superbia, et aeternae damnationi traditi sunt (*2 Petr.* ii, 4). Piores Deo assistunt in gubernatione mundi et hominum custodia; posteriores hominibus insidianter.

I. *Existentialia angelorum custodum.* 1. Quoad singulos homines.

13. *Thesis:* SANCTI ANGELI DEPUTANTUR IN CUSTODIAM HOMINUM VIATORUM (i. e. in terra viventium). *Certum est*, imo juxta multos, *de fide*, propter institutionem festi angelorum custodum.

*Prob. Script.* (a) In psalmis (xc, 11–12) aperte dicitur: “angelis suis mandavit de te, ut custodianter te in omnibus viis tuis;” atqui illa verba referuntur ad omnes justos qui confidunt in Deum.—Ergo illi omnes habent angelos custodes.

(b) Christus ipse in Evangelio (*Matt.* xviii, 10) monet pueros minime scandalizandos esse, quia “angeli eorum (i. e. qui vigilant super ipsos) semper vident faciem Patris.”

(c) Item Apostolus (*Hebr.* i, 14) aperte declarat angelos esse administratores spiritus a Deo missos, ad vigilandum super eos homines, qui destinantur ad coelum: “Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui haereditatem capient salutis?”

14. *Traditione*: Ecclesia instituit speciale festum in honorem S. S. Angelorum Custodum, et in officio, praesertim vero *oratione*, manifeste asserit eorumdem existentiam “Deus qui ineffabili providentia sanctos angelos suos ad nostram custodiam mittere dignaris;” atqui Ecclesia est infallibilis quando dogma asserit in liturgia: ergo.

15. *Ratione convenientiae*. (a) Deus inferiora per superiorea gubernare solet; atqui Angeli sunt hominibus superiores; Ergo Deus gubernat et protegit homines per angelos.

(b) quando homines iter faciunt per viam non tutam, custodes ad eorum protectionem deputantur; atqui in hac vita sumus quasi viatores ad coelum tendentes, per viam arduam, et latronibus, seu daemonibus, infestatam; Ergo indigemus custodibus. Nec dicatur, cum Calvinus, posito hoc dogmate Dei tutelam insufficientem apparere; nam Deus utitur causis secundis, non quasi eis indigeat, sed quia id ejus bonitati et sapientiae convenit.

16. *Corollaria*: Quoad numerum angelorum custodum, haec statuenda sunt.

Certum est singulos fideles justos habere suum proprium angelum custodem.

(a) Illud constat ex textibus Scripturae allatis et praesertim ex unanimi Patrum consensu, et communi fidelium sensu. Unus audiatur S. Basilius (*C. Eunom.* iii, i) “quod singulis fidelium adsit angelus nemo contradicet;” ac proinde illud negari nequit absque temeritate.

(b) Communiter idem asseritur pro peccatoribus et pro infidelibus; nam Christus mortuus est pro omnibus, etiam infidelibus, et omnibus meruit media ad salutem; atqui unum ex his mediis, in praesenti dispensatione, est angelica custodia; ergo.

(c) Communiter asseritur pariter Christum non habuisse angelum custodem, quia ejus humanitas directe regulabatur et protegebatur a Verbo Dei. Sed B. Virgo habuit angelum custodem, et S. Bernardus putat illum fuisse Gabriel.

17. (B) Quoad tempus angelicae custodiae.

(a) Incipit a momento nativitatis, juxta S. Thomam et plerosque theologos; ante nativitatem infans protegitur in sinu materno ab angelo matris.

(b) Continuatur per totam vitam, eo saltem sensu quod angelus custos nunquam clientem suum totaliter deserat, quamvis possit illum ad tempus dimittere, eum scilicet minus juvando, punitionis causa.

(c) Proprie loquendo cessat in morte, quippe quum tunc desinat probationis tempus.

#### 18. 2. *Quoad communitates.*

(A) Valde probabiliter tenent Doctores adesse specialem angelum custodem pro Ecclesia, scilicet S. Michaelem. (a) Revera ex Scriptura videtur S. Michaelem fuisse olim praepositum synagogae (*Dan.* x, 21 et xii, i), quia vocatur princeps populi Judaici, et dicitur habere specialem ejus curam; atqui Ecclesia Synagogae successit; Ergo. (b) Verba quae adhibentur ab Ecclesia in officio S. Michaelis insinuant saltem illum archangelum specialem esse protectorem Ecclesiae.

(B) Satis probabiliter etiam docetur singulis regnis et nationibus, imo et communitatibus alicujus momenti, v. g. ecclesiis particularibus, religiosis communitatibus, praepositos esse speciales angelos custodes. Ratio est quia illae societas sunt veluti corpora moralia, quae speciali assistentia indigent (*Dan.* x, 13; *Deut.* xxxii, 8; *Act.* xvi, 9; *Zach.* i, 12).

#### II. *Angelorum custodum erga homines obsequia.*

19. 1. *Quoad Corpus.* (A) Angelus custos a nobis avertit damna exteriora, aut, si jam inciderimus in illa, ab illis nos eripit. "Angelus qui eripuit me de cunctis malis" (*Gen.* xlvi, 16) "angelis suis mandavit de te, ut custodiant te . . ." etc. (*Ps.* cx; *Tob.* vi, 8).

Illud autem facit, vel avertendo objecta nociva, vel immittendo cogitationem per quam malum imminens vitari possit.

(B) Ali quando nos etiam juvat in negotiis saecularibus, praesertim quando ad salutem inserviunt, ut apparent exemplo Tobiae (*Tob.* xii, 3).

20. **2.** *Quoad animam.* (**A**) Angeli custodes arcent daemones, ne nobis noceant aut saltem ne tam graviter tentent (*Tob.* viii, 3).

(**B**) Sanctas cogitationes suggestunt, nos excitando ad bonum (*Tob.* vi, 16) nos etiam avertendo a malo, per consilia et correptiones: quod quidem facere possunt immediate agendo in organon phantasiae, ut excitentur ea sensibilia phantasmata quae intellectum ad cogitandum determinant.

(**C**) Offerunt Deo nostras orationes, aut nostra bona opera, non quidem ut Deus ea cognoscat,—nam per seipsum cognoscit omnia,—sed ut ipsi suas preces nostris addant, et sic majorem vim precibus nostris conferant “Ego obtuli orationem tuam Domino” (*Tob.* xii, 12).

(**D**) Medicinales poenas quandoque infligunt: hoc enim est opus misericordiae, et saluti nostrae inservit (2 *Reg.* xxiv, 16). Poenae autem vindicativae generatim per malos angelos infliguntur.

(**E**) Tandem in ipso articulo mortis specialiter nos adjuvant contra ultimas tentationes, et ultimas diaboli impugnationes, et animas nostras ad coelum vel ad purgatorium ducunt (*Luc.* xvi, 22).\*

### 21. III. *Officia nostra erga angelum custodem.*

Summantur a S. Bernardo his verbis. “Reverentiam pro praesentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia” (*Sermo 12 in ps. 90*).

**1.** *Reverentia pro praesentia:*—siquidem angelus custos est semper nobiscum, et quia est spiritus purus et sanctus, vitare debemus quidquid illum contristare posset.

**2.** *Fiducia pro custodia:*—nam potens est ad nos succurrerendos et simul nobis devotissimus; igitur illum deprecari, et ad illum confugere, in rebus dubiis et angustiis debemus.

**3.** *Devotio seu amor pro benevolentia:*—nam est pro nobis veluti benefactor, amicus et frater, et erit postea particeps

\* Legatur, si tempus adsit, Newman's Dream of Gerontius.

ejusdem haereditatis in coelo ; ergo illum diligere debemus, de illo cogitare, et ejus inspirationibus obedire.\*

22. Ostendatur quo vitio laboret hoc argumentum : "They (Angels) must not come between us and God. We are not to look to them nor to invoke their aid. They are in the hands of God and exercise his will : He uses them as He does the winds and the lightning (*Hebr.* i, 7), and we are not to look to the instruments in the one case more than in the others " (Hodge, *Systematic Theology*, i, 642).

### ARTICULUS III. DE ANGELIS MALIS.

Daemones hominem impugnant dupli modo : modo ordinario per tentationem, extraordinario per obssessionem et possessionem ; de utroque seorsim dicemus.

#### I. *De tentatione diabolica.*

23. **1. *Ejus existentia:*** SAEPE SAEPIUS DAEMONES HOMINEM AD PECCATUM INCITANT, SEU TENTANT.

(A) *Probatur Script.* Existencia tentationis diabolicae luculenter ex Scriptura demonstratur. In *Vet. Test.* : diabolus protoparentes ad peccandum inducit (*Gen.* iii), et pium Job variis modis conatur a Deo avertere. In *Nov. Test.* : diabolus impugnat ipsum Christum (*Matt.* iv), Judam proditorem ad magistrum tradendum incitat (*Joannes* xiii, 2, 27), etc.

Insuper modo generali S. Petrus et S. Paulus nos admonent ut a diabolica tentatione caveamus (*I Petr.* v, 8, 9 ; *Eph.* vi, 12). "Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit quaerens quem devoret."

(B) *Suadetur Ratione.* Ratio non demonstrat quidem, existentiam diabolicae tentationis, sed nobis praebet argumenta, quibus appetet convenientia illius :—

\* Doctrina hic exposita optime illustratur in Opusculo Memoirs of a Guardian Angel.

(a) *Ex parte Dei*: Illud enim convenit ex parte Dei quod manifestat excellentiam et necessitatem gratiae, ne non divinam sapientiam; atqui hoc praestat diabolica tentatio, quia homines, a diabolo tentati, melius intelligunt gratiae necessitatem ad daemoni resistendum, et aliunde Deus, succurrendo homini tentato, nobis ostendit quomodo sciat ex malo majus bonum elicere.

(b) *Ex parte hominis*: nam per hujusmodi tentationes ejus *virtus* perficitur et robatur, melius sentit propriam infirmitatem et ita ad veram *humilitatem* excitatur; tandem, resistendo temptationi, *poenitentiam* agit pro peccatis praeteritis.

(c) *Ex parte ipsius daemonis*: nam, quamvis diabolus aliquando vincat homines, tamen saepe saepius vincitur, et ultimo per merita Christi vincetur, et ita majorem confusionem experietur.

24. 2. *Modus quo fit*. (A) Diabolus non potest agere directe in intellectum et voluntatem; nam intellectus et voluntas sunt facultates mere spirituales; atqui solus Deus potest agere in facultates mere intellectuales: "Tu solus nosti corda filiorum hominum" (2 Paral. xi, 30); Ergo.

(B) Diabolus autem potest agere:

(a) in *sensus externos*, scilicet memoriam et imaginationem, nam illae facultates sunt facultates *sensibiles*, et diabolus potest agere in ipsas, quia natura sensibilis et corporea obedit angelis. Diabolus potest igitur malas imaginationes proponere, nobis etiam invitit.

(c) in *appetitum sensibilem*, passiones commovendo, et humores corporis humani disponendo ita ut ad peccandum inclinemur. Attamen in illis omnibus casibus homo servat suam libertatem, et potest, cum gratia Dei, temptationem superare: "Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis" (1 Cor. x, 13).

25. 3. *Remedia*: (A) *Ante temptationem*: "Vigilate et orate, ut non intretis in temptationem" (Matt. xxvi, 41): (a) vigilandum est, videlicet, super sensus tum internos, tum externos, quia, ex dictis, illis utitur diabolus ad nos tentan-

dos; (**b**) orandum est, quia ex nobis infirmiores sumus ad vincendum diabolum.

(**B**) *In ipsa tentatione*: debemus ab initio resistere, et non disputare cum diabolo: secus enim ab illo sophistā vincemur. Si tentatio urgeat, ad orationem recurratur, et, si possibile sit, ad spiritualem directorem.

(**C**) *Post temptationem*: nil victoriae nobismetipsis tribuamus, sed Deo gratias reddamus, cuius ope victores evasimus: secus, brevi in novas tentationes incideremus.

## II. *De obsessione et possessione diabolica.*

26. 1. *Notio.* (**A**) Obsessio est actio daemonis, qui ab extra veluti obsidet et impugnat hominis corpus, diversis molestiis illud afficiendo, simulque animam gravibus temptationibus vexando, ut refertur v. g. in historia S. Antonii.

(**B**) Possessio est actio daemonis, qui corpus hominis intrat, in illo habitat, ibique operatur, sensibus et membris utendo, insolitosque actus producendo. Signa diabolicae possessionis, juxta Rituale Romanum, sunt "ignota lingua loqui pluribus verbis vel loquentem intelligere, distantia et occulta patefacere, vires supra aetatis seu conditionis naturam ostendere et alia id genus." Sed simul Rituale exorcistam monet "ne facile credat aliquem a daemonio obsessum esse, sed nota habeat ea signa, quibus obsesus dignoscitur ab iis qui vel atra bile, vel morbo aliquo laborant" (*De exorcis. obs.*). Quod quidem hodie eo magis necessarium est quod in somno hypnotico phaenomena producantur quae possessionem daemoniacam imitari videntur.\*

27. 2. *Existentia.* Veritatem diabolicae possessionis impugnant non solum Rationalistae, sed etiam Protestantes non pauci, imo aliquot Catholici qui contendunt daemonicacos, de quibus evangelium loquitur, fuisse simpliciter aegrotos et Christum et Apostolos Judaeorum opinioni se accommodasse. Contra quos sit.

---

\* Legatur Hypnotism, by F. Bjornstrom, ch. iv.

28. *Thesis: Possessiones daemoniacae admittendae sunt sive ante sive post Christum.*

(A) *Probat. Scriptura.* (a) Saepe enim mentio fit in Evangelio obsessorum a daemone, prouti ab aegrotis distinguuntur "Obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui daemonia habebant" (*Matt.* iv, 24; viii, 16). (b) Insuper Christus exhibetur ut daemones alloquens, eos increpans, vetansque ne loquantur, aut eis praecipiens ut exeant: "daemonia multa ejiciebat, et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum. . . . Surde et mute spiritus, ego praecipio tibi, exi ab eo, et amplius ne introeas in eum" (*Marc.* i, 34; ix, 24; *Luc.* viii, 30). (c) Tandem Christus apostolis tradit potestatem daemones ejiciendi, simulque media praescribit quibus ejici possint (*Matt.* x, 1; *Marc.* xvi, 17; viii, 28). Atqui si daemoniacae possessiones nihil aliud sint nisi morbi naturales, Christus certe Judaeos et Apostolos sua agendi ratione suisque verbis decepisset; quod quidem repugnat; ergo.

(B) *Traditione.* Idem constat ex *praxi Ecclesiae*, quae specialem ordinem Exorcistarum instituit ad daemones abigendos, et in Rituall preces speciales habet ad liberandos obsessos a diabolo; necon ex *historia*, quae plures possessionis casus refert, de quorum veritate dubitare difficile est.\*

29. (C) *Ratione.* Ratio non potest quidem existentiam diabolicae possessionis demonstrare, sed solum ejus possibilitem, positâ daemonum existentiâ. Quum enim diabolus magnâ sagacitate et potestate polleat, certe multo plura stupenda producere potest quam magnetismi cultores; atqui isti personam magnetisatam ita regere possunt, ut vires ejus physicas et psychicas pro libitu dirigant, etiam contra ipsius inclinationem; ergo idem a fortiori valet diabolus. Quod sic optime exprimit Pressensé (Jesus Christ, 285). "In magnetic phenomena we see the magnetiser holding in absolute subjection the sleeping subject, dictating to him his own thoughts, and

---

\* Legatur Ribet, *La Mystique divine*, iii, pp. 175-273.

suspending in him all moral freedom. There is a Satanic magnetism which so takes possession of the sick man that he becomes the organ of an occult power ; his nervous system, his mind, his whole being is at the service of that *other* whose sport he is.”

Si inquiratur autem cur Deus possessionem permittat, respondet S. Bonaventura (in 2 dist. 8, p. 2, a. 1, q. 1). “Permittit autem hoc Dominus sive ad gloriae suae ostensionem (*Jo. ix, 3*), sive ad peccati punitionem, sive ad peccantibus correptionem (*1 Cor. v, 3*) sive ad nostram eruditionem.”\*

30. **3.** *Remedia*, quae adhiberi solent ad daemones arcendos sunt : (**A**) Conscientiae purgatio per confessionem sacramentalem ; (**B**) usus Eucharistiae ; (**C**) oratio cum jejunio ; (**D**) Sacramentalium usus, praesertim aquae benedictae ; (**E**) tandem exorcismi, qui tamen caute adhibendi sunt, nec sine licentia Episcopi, saltem si publice et solemniter fiant.

## CAPUT II. DE HOMINE.

### ARTICULUS I. DE HOMINIS ORIGINE.

Post dicta de Angelis, de homine disputare licet. Relictis autem quaestionibus quae in Philosophia expenduntur, satis erit disserere de ejus *origine, elevatione et lapsu*. Circa originem hominis, duo breviter exponemus : I, protoparentum creationem ; II, humani generis unitatem.

#### I. *De Protoparentum Creatione.*

31. **1.** *Status quaestioonis.* Praetermissis antiquis erroribus, pauca de transformistarum theoriis attingere debemus.

\* Circa possessiones diabolicas legi possunt Kitto, Cyclopaedia of Biblical Literat., verbo Demoniacs ; Trench, Miracles of Our Lord, Appleton, 1890, pp. 161, 246, 389.

(A) Quidam inter ipsos, qui materialistae vel positivistae vocantur, contendunt tum corpus tum animam hominis, per naturales evolutionis leges, absque ullo Primae Causae interventu, originem ducere—v. g. Huxley, Haeckel, Vogt. Talis error evidenter mosaicae narrationi opponitur (*Gen.* i, 27; ii, 17, 21–23), et jam in Philosophia confutatus est.

(B) Alii, qui Spirituales transformistae dicuntur, tenent corpus hominis originem ducere a brutis, eo sensu quod, sub actione legum a Deo conditarum, corpus alicujus bruti ita gradatim fuerit evolutum donec aptum fuerit ad recipiendam animam rationalem directe a Deo creatam:—“Man’s body was not created in the primary and absolute sense of the word, but was evolved from pre-existing material, and was, therefore, derivatively created, i. e., by the operation of secondary laws. His soul, on the other hand, was created in quite a different way by the direct action of the Almighty, symbolized by the term “breathing” (*Mivart, Genesis of species*, 300).

32. 2. *Communis sententia est protoparentes non solum quoad animam sed etiam quoad corpus immediate a Deo fuisse conditos.*

(A) Scriptura enim non solum modo generali declarat hominem fuisse a Deo creatum, sed etiam speciatim describit immediatam formationem corporis protoparentum: “Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae” (*Gen.* ii, 17). “Tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. Et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem” (*Gen.* ii, 21–23). Porro sensus obvius illorum textuum est corpus Adami directe ex limo terrae, non autem ex corpore simiae, formatum fuisse, et corpus Evae ex Adami costa.

(B) Accedit Patrum et theologorum interpretatio fere unanimis, paucis tamen exceptis, qui, cum Cajetano, creationem mulieris sensu metaphorico exponunt.

33. 3. Hinc intelligere licet quid de opinione Mivart censendum sit:—

(A) *Theologice* non est haeretica, quia usquedum Ecclesia a re definiendâ abstinuit, sed ex dictis videtur prima facie mosaicae narrationi contraria. Animadvertunt tamen defensores illius opinionis verba Scripturae citata lato sensu seu metaphorice intelligi posse: si enim in primo capite voces "dies, mane, vespera" metaphorice audiantur, pariter si quae-dam saltem verba cap. tertii (14) eodem modo accipientur, eur metaphorice intelligi non posset corporis humani efformatio?

(B) *Philosophice* non est impossibilis: non enim in se repugnat Deum corpus hominis formasse ex corpore bruti potiusquam ex limo terrae.

(C) *Scientifice* est mera hypothesis, quum conjecturis potiusquam factis innitatur. Haec enim confiteri debuit ipse Virchow, unus ex praecipuis transformistis. "In vain were we hunting for these missing links which ought to connect man directly with the monkey; the primitive man, the pro-anthropos has not yet been found. . . . At the present moment we can say that among the peoples of ancient times none was any nearer to the ape than we are. Every existing race is human; even though some show characteristics or forms peculiar to the ape. We cannot assert positively and truthfully that on this account these men look like monkeys" (Congress of Anthropology, Vienna, 1889).

## II. *De unitate generis humani.*

34. 1. *Errores.* Unitas humani generis negatur: (A) tum a *Praeadamitis*, qui, duce Isaaco de la Peyrere (1655), calviniano (postea ad fidem catholicam converso) contendunt jam ante Adamum aliquos exstisset homines, et Adamum esse quidem patrem Judaeorum, non autem Gentilium; (B) tum a *Coadamitis*, secundum quos plures simul humanae familiae exstiterunt Adamo coaevae, ita ut Adam non sit pater omnium hominum.

2. *Thesis:* UNIVERSUM GENUS HUMANUM AB UNO PROTOPARENTE ADAM ORTUM HABUIT. Certum est et fidei proximum.

(A) *Script.* (a) *Directe* in S. Litteris asseritur nullum exstisset hominem quando Adam creatus fuit. “Et homo non erat qui operaretur terram” (*Gen. ii, 5*). “Adae vero non inveniebatur adjutor similis ejus” (*Gen. ii, 20*). Iterum S. Paulus directe asserit omnes homines ex uno descendere: “Fecit ex uno omne genus hominum habitare super terram” (*Act. xvii, 20*). (b) Indirecte idem constat ex dogmate Catholico de peccato originali, secundum quod omnes nascentur originali labe infecti, eo quod omnes ex eodem capite naturam peccato infectam trahant (*Rom. v, 12*).

35. Nec valent argumenta ab Isaaco Peyrere prolatæ; (a) objicit primum hominem, cuius creatio describitur *Gen. i, 27*, non esse eumdem ac eum, cuius creatio describitur *Gen. ii, 7*. Sed contra ex contextu appareat sacrum scriptorem, postquam modo generali descriptis in cap. I, creationem omnium entium, homine non excepto, exponere modo speciali, in cap. II, creationem protoparentum (*Gen. ii, 5, 20*; *iii, 20*). Insuper dato, non concesso, differentiam esse inter caput I et caput II, ex hoc non sequitur duos homines plane distinctos describi, sed solum duplicem narrationem ejusdem facti admittendam esse. (b) Arguit pariter ex eo quod Cain uxorem habuerit, quam ex aliâ familiâ seligere debuit, quum propriam sororem in uxorem ducere nefas sit. Jamvero longe antea S. Augustinus animadverterat in initio, legitimum fuisse sororem in matrimonium ducere; hoc enim non opponitur juri naturali primario, et, necessitate compellente, licitum fuit. (c) Addit verba Cain, quibus exprimit se timere ne occidatur, evidenter supponere tunc temporis alios fuisse homines:—quod confirmatur ex eo quod civitatem paulo post aedificaverit (*Gen. iv, 12, 17*). Hoc autem nil probat: praevidere enim poterat homines brevi multiplicaturos esse, et quosdam ex propriis nepotibus vitae suae insidiatiros esse;—aliunde civitas, de qua agitur, non erat urbs ingens, sed quarundam domorum collectio pro familia sua, pro filiis scilicet et nepotibus;—vox enim haebraica quae per “civitatem” redditur hunc sensum habet, ut testatur ipse Gesenius, auctor rationalista.

36. (**B**) *Ratione confirmatur.* Nam argumenta, quae ab adversariis proferuntur ad nostram thesim impugnandam, non valent:—

(a) Arguunt ex corporis *organismo et colore*, quem ita diversum judicant, ut varias hominum species agnoscere necesse sit. Sed contra, ex recentibus physiologicis studiis, constat in omnibus hominibus eamdem inveniri structuram corporis anatomicam, eamdem ad morbos contrahendos dispositionem, easdem generationis et partus leges, imo matrimonia inter individua variarum gentium contracta esse indefinite fecunda; porro haec omnia probant omnes homines ad unicam speciem pertinere, nec proinde repugnare ut omnes ab eodem communis parente descendant. Varietates autem, quae inter varias Gentes existunt, sunt accidentales et per climatis aliarumque naturalium causarum influxum explicari possunt, praesertim si duo attendantur, humanam scilicet naturam in principio fuisse magis flexibilem,—et secundo illas varietates nonnisi gradatim et successu temporis productas fuisse, donec tandem haereditate stabiles effectae fuerint. Quoad colorem speciatim, haec animadvertere liceat cum materialista Topinard. “In all races, whatever their color may be, except in the black which is too dark to admit of deep color, the skin colors under the action of the air, and especially of the sun. Among the Hindoos everybody is colored. . . . Mongolians, under the influence of the sun, have become as dark as negroes; while there are whites in tropical countries who might be taken for yellow bronzed Mongolians.” (*Rev. d'Anthropologie*, Oct., 1886).

(b) Arguunt insuper *ex linguarum varietate*, quae tam dispares sunt ut ab uno stipite oriri non potuerint:—Sed notandum est in primis illam disparitatem valde exaggeratam fuisse, quum de facto omnes linguae ad tres species revocari possint (monosyllabic, agglutinative, inflective), quae nihil aliud esse videntur nisi naturalis evolutio unius ejusdemque linguae. Insuper illa disparitas explicari potest vel supernaturaliter, prout narratur a Moyse (*Gen. i, 1-8*), vel naturaliter per solam populorum dispersionem; experientia enim constat populos

ejusdem originis, qui ab initio eadem lingua utebantur, gradatim ita mutavisse primitivum sermonem, ut, post aliquod tempus, novam veluti linguam creaverint:—quod fatetur ipse Max Müller rationalista “There is not an English jury nowadays which, after examining the hoary documents of language, would reject the claim of common descent and legitimate relationship between Hindo, Greek and Teuton.”

(c) Tandem arguunt ex *impossibilitate ex unico centro ad dissitas insulas*, neconon in Americam pervenienti. Respondeatur autem talem impossibilitatem non existere, nam qui geographiae sedulo studuerunt, etiam rationalistae, fateri coguntur etiam remotissimas insulas Oceaniae, et Americam ipsam incolas accipere potuisse ex Asia; experientia enim constat etiam hodie scaphas et naves, vi ventorum et currentium, ad illas insulas propulsas fuisse—Ait siquidem Waitz, Germanus rationalista “These difficulties are evidently nowhere greater than in the Pacific Ocean or even as great; and yet the Pacific Ocean affords abundant proofs not only that these difficulties are not insuperable, but also that they do not hinder either immigration from other countries or the spreading of the inhabitants from one group of islands to another” (*Anthropologie*, i, 225) Quoad Americam, haec notare sufficiat “From 1872 to 1876 forty-nine Chinese barks were carried along by the currents towards the Pacific Ocean; nineteen landed on the Aleutian Islands, ten on the shores of Alaska, three on those of the United States, two on the Sandwich Islands.” \*

37. Nihil diximus de antiquitate hominis, quae est quaestio historica magis quam theologica. Hucusque homines exstisset in tertaria epocha non probatum fuit; si autem hoc aliquando probaretur, fides nostra nondum periclitaretur, dummodo admitteretur illos homines, Adamo anteriores, periisse ante protoparentum creationem; fides enim Catholica unum asserit, scilicet genus humanum *actuale* ab Adamo ortum habuisse.

---

\* Thein, Christian Anthropology, p. 419; vide insuper Quatrefages, The Human Species; Gmeiner, Modern Scientific Views.

## ARTICULUS II.

DE HOMINIS ELEVATIONE AD STATUM  
SUPERNATURALEM.

## § 1. NOTIO ET POSSIBILITAS TALIS ELEVATIONIS.

Post descriptam originem hominis, ejus elevatio ad statum supernaturalem describenda est. Ut autem secure procedamus, quaedam praeviae notiones explicandae sunt: **I.** de triplici ordine naturali, praeternaturali et supernaturali; **II.** de variis statibus in quibus homo constitui potuit; **III.** de possibiliitate hominem elevandi ad statum supernaturalem.

**I.** *De triplici ordine naturali, praeternaturali et supernaturali.***1.** *De ordine naturali.*

38. (**A**) *Naturale proprio dictum* est illud quod est debitum naturae,—seu fusius illud quod est secundum essentiam, exigentias et vires alicujus naturae creatae. Dicitur:

(**a**) *secundum essentiam*, id est quidquid requiritur ad constitendum aliquod ens in sua specie; v. g. in homine corpus et anima rationalis sunt quid naturale, quia constituunt ipsam essentiam hominis,

(**b**) . . . *exigentias*, id est quidquid ab ipsa essentia diminat, aut requiritur ut ens aliquod possit suas facultates exercere; v. g. in homine: intellectus, voluntas, etc., sunt quid naturale, quia diminant ab essentia hominis; item concursus divinus, sine quo facultates exerceri non possent. Quod exigitur ab essentia alicujus entis vocatur *debitum naturae*.

(**c**) . . . *et vires*, id est quidquid aliquod ens, per exercitium suarum facultatum, acquirere aut mereri potest; v. g. scientia experimentalis est aliquod naturale, quia acquiritur per exercitium facultatum hominis. Illud quod obtinetur per tale exercitium, vocatur generatim *debitum personae*.

39. (**B**) *Verbum naturale* aliquando adhibitum fuit in *sensu proprio*, ad significandum:

(**a**) *donum aliquod gratuitum*, quod non debetur naturae, sed illam tamen perficit in suo genere; v. g. immunitas a con-

cupiscentia dicitur a quibusdam Patribus donum naturale in praefato sensu.

(b) donum gratuitum quod simul cum nativitate accipitur; v. g. sanctitas originalis ab Adamo accepta aliquando vocatur naturalis a Patribus, quia ab ejus creatione seu quasi-nativitate in ejus animam infusa fuit.

(c) omne quod naturam adornat et elevat, et naturae consentaneum est; in hoc sensu gratia ipsa posset vocari naturalis, quia revera nostram naturam adornat. Hodie vero, ad tollendas aequivocationes, vox naturale non debet adhiberi nisi in sensu stricto supra explicato.

40. (C) Ordo in genere est apta dispositio mediorum ad finem. Ad ordinem quatuor requiruntur: (a) agens, (b) finis ad quem agens tendit, (c) medium, per quod agens tendit in finem, (d) lex per quam media recte ordinantur ad finem. Hinc *ordo naturalis* est apta dispositio mediorum naturalium ad finem naturalem: pro homine ita constituitur: (a) agens est natura humana, cum facultatibus et viribus propriis; (b) finis est possessio Dei per solam rationem modo discursivo cogniti; (c) medium est exercitium facultatum, praesertim vero intellectus et voluntatis, sub influxu concursus Dei naturalis; (d) lex est lex naturalis cum consecutariis quae ex ea deduci possunt.

## II. *De Ordine supernaturali et praeternaturali.*

41. (A) *Definitio.* Supernaturale in genere, seu lato sensu est illud quod superat essentiam, exigentias et vires naturae. Dicitur: (a) quod *superat*, non autem quod opponitur, quia supernaturale non est contra naturam, sed solum supra. (b) *essentiam, exigentias et vires*, id est, illud omne quod constituit aliquod ens, aut exigitur ab illo aut potest ab illo acquiri, ut supra explicatum est; proinde supernaturale in genere est illud quod alicui enti conceditur praeter et supra debitum naturae et debitum personae.

42. (B) *Divisio.* Supernaturale dividitur in duas species: in supernaturale secundum quid, et supernaturale simpliciter.

(a) *Supernaturale secundum quid*, quod vocatur etiam *praeternaturalis*, est illud quod in se, in sua substantia est naturale,

sed ratione modi quo fit vel subjecti in quo fit, superat vires naturae; v. g. instantanea curatio aegroti est in se quid naturale, sed ratione modi quo fit, scilicet absque ullo remedio et subito, superat vires omnium creaturarum; item donum immortalitatis corporeae, Adamo collatum, erat in sua substantia aliquid naturale, quia nihil aliud erat nisi continuatio vitae, seu doni naturalis, sed ratione subjecti cui conferebatur erat supernaturale, quia immortalitas enti de se corruptibili minime debetur.

(b) *Supernaturale simpliciter*, seu quoad substantiam, est illud quod in sua entitate superat exigentias et vires totius naturae creatae et creabilis. Tale supernaturale non potest esse nisi aliquid divinum, seu participatio quaedam divinitatis, quia omne quod non est divinum potest naturaliter convenire alicui creaturae perfectissimae. De facto, non dantur nisi tres casus supernaturalis quoad substantiam, scilicet, unio hypostatica, de qua dicemus in Tractatu de Incarnatione, gratia et gloria de quibus fuse suo loco disseremus. Pro praesenti haec notare sufficiat:

Gratia in genere est donum supernaturale, creaturae intellectuali a Deo concessum in ordine ad vitam aeternam seu ad gloriam.

Gratia habitualis, seu status gratiae, est qualitas supernaturalis, permanenter et intrinsece animae inhaerens, per quam efficimur divinae participes naturae.

Gratia actualis est auxilium quoddam supernaturale et transiens, quo Deus illuminat intellectum et voluntatem adjuvat ad eliciendos actus supernaturales.

43. (C) Ordo supernaturalis sic constituitur pro homine:

(a) finis est cognitio Dei non modo imperfecto et discursivo, sed modo perfecto et intuitivo, facie ad faciem, et amor Dei ejusdem generis, quia amor sequitur cognitionem.

(b) agens est natura humana ad altiorem operandi modum elevata per gratiam sanctificantem, virtutes infusas et dona Spiritus Sancti;

(c) medium est exercitium facultatum, sub influxu supernaturalis Dei concursus, seu gratiae habitualis.

(d) lex est non solum complexus legum naturalium, sed etiam complexus praeceptorum positivorum, quae Deus legi naturali addere potest.

*II. De variis statibus humanae naturae relate ad gratiam.*

44. Quinque sunt status in quibus humana natura concepi potest relate ad gratiam :

**1.** *Status naturae purae*, qui consistit in possessione cujuslibet boni essentialiter humanae naturae debiti, et in absentia omnis boni indebiti. Hinc in illo statu homo habuisset : (a) finem naturalem, (b) media naturalia ad hunc finem attingendum, (c) et legem naturalem ; sed fuisse subditur ignorantiae, concupiscentiae, infirmitatibus et morti, nec ullum habuisset jus strictum ad auxilium efficax et perseverantiam finalem. De facto ille status nunquam exstitit, ut dicemus infra.

**2.** *Status naturae integræ*. Ille status includit quidquid est positivum in statu naturae purae, et insuper immunitatem a concupiscentia, ab ignorantia, infirmitatibus et morte.

**3.** *Status naturae innocentis*. Ille status complectitur : (a) quidquid est positivum in statu naturae purae, (b) sed insuper integritatem naturae, (c) nec non destinationem ad finem supernaturalem, et media supernaturalia, scilicet, gratiam sanctificantem, virtutes infusas, etc.

Ille status de facto exstitit in Adamo : vocatur status *naturae innocentis* quia non poterat subsistere simul cum peccato, status *justitiae* seu *sanctitatis originalis*, quia ab origine, homo justus constitutus est.

**4.** *Status naturae lapsæ et reparatae*. Ille status, in quo nunc versamur, consistit in eo quod homo.

(a) remaneat destinatus ad finem supernaturalem ;

(b) sed simul incapax per se hunc finem attingendi, quum nascatur originali peccato infectus ;

(c) possit tamen, per Christum, recuperare gratiam, non autem dona praeternalia, saltem in praesenti vita.

**5.** Status naturae lapsae non reparatae fuisset idem status, sed absque ulla redempzione. De facto ille status non exstitit, quum statim post lapsum Deus promiserit Redemptorem.

**III. De possibiliitate hominem elevandi ad statum supernaturalem.**

*Thesis.* ELEVATIO HOMINIS AD STATUM SUPERNATURALEM NON SOLUM NON REPUGNAT SED ETIAM MAXIME CONVENIT.—Certum est contra Infideles et Rationalistas, qui contendunt supernaturale esse aliquid impossibile, utpote naturae contrarium.

45. **I.** *Non repugnat:* Si repugnaret talis elevatio, illud veniret vel ex parte Dei, vel ex parte hominis, vel ex parte ordinis naturalis; atqui nullum ex his dici potest; ergo.

(A) Non *ex parte Dei*; in tantum enim repugnaret in quantum Deus nesciret aut non posset ordinem instituere naturali ordini superiorem; atqui res non ita se habet, nam infinita Dei sapientia et omnipotentia per creationem non fuerunt exhaustae, ac proinde Deus aliquid ordini naturali praestantius concipere et efficere valet, dummodo nullam contradictionem involvat.

(B) Non *ex parte hominis*: nam, ut dictum est in Philosophia adest in homine potentia obedientialis, quae definitur “capacitas recipiendi a Deo virtutes et operationes superantes vires et energias naturae;” atqui vi illius potentiae obedientialis, homo accipere potest a Deo vires novas, ipsi indebitas, quibus elicere poterit actus supernaturales; nemo enim dubitare potest quin homo, speciali Dei auxilio adjutus, plura et perfectiora facere valeat quam sine tali auxilio. Ita, v. g. intellectus noster, qui propriis viribus Deum intuitive videre nequit, accipere potest a Deo lumen speciale, vi cuius ejus vis nativa roboratur et ampliatur, ita ut possit contemplari Deum facie ad faciem. Nec dicatur per hoc intrinsece mutari intellectum nostrum; quum enim objectum adaequatum intellectus nostri sit omne verum, non mutatur ejus species quando elevatur ad Deum videndum, sed solum perfectior redditur ejus cognoscendi modus.

(C) Non ex parte ordinis naturalis; in tantum ordo supernaturalis repugnaret, in quantum destrueret ordinem naturae, aut saltem confunderetur cum illo; atqui neutrum dici potest; nam (a) ordo supernaturalis non est contra naturam, sed supra, nec naturam destruit aut deprimit, sed potius eam firmat et perficit, quum sit aliquod accidens superadditum naturae, speciem ejus non mutans sed perficiens, sicut enim dignitas regia collata homini non destruit ejus naturam, sed illam adornat, ita pariter dignitas supernaturalis, quae nobis confertur per gratiam, naturam nostram minime destruit sed solum perficit, nos habiles reddendo ad perficiendos actus, quos propriis viribus operari non possemus; (b) ordo supernaturalis non confunditur cum ordine naturali, nam est aliquid gratuitum, dum ordo naturalis pertinet ad debitum naturae; insuper ordo supernaturalis est superior ordini naturali, ac proinde ab ipso distinguitur; v. g. cognitio Dei supernaturalis per visionem beatificam est certo distincta a cognitione Dei discursiva per rationem naturalem.

46. 2. Convenit: (A) Ex parte Dei: nam talis elevatio manifestat:

(a) divinam bonitatem: siquidem eo magis apparet bonitas quo majus bonum confertur; atqui Deus elevando hominem ad statum supernaturale, ipsi concedit bona valde superiora bonis naturalibus, juxta illud S. Petri (2 Epist. i, 4) "Deus maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae."

(b) item sapientiam;—nam eo magis eluet sapientia quo sublimior finis, perfectioraque media assignantur ad finem illum attingendum; atqui nullus finis sublimior inveniri potest quam finis supernaturalis, quo destinamur ad videndum Deum facie ad faciem, sicut seipsum videt: pariter nulla perfectiora media quam media supernaturalia, gratia sanctificans, virtutes infusae, etc.

(c) tandem omnipotentiam;—nam melius apparet omnipotentia Dei in operibus quae superant vires totius naturae, quam in operibus mere naturalibus.

(B) Ex parte *hominis*. Nam per ordinem supernaturalem homo perficitur: (a) in sua *substantia*, quae fit consors naturae divinae per gratiam sanctificantem et gloriam;

(b) in suis *facultatibus*, quae adornantur virtutibus infusis, quae virtutes naturales longe excedunt;

(c) in suis *operationibus*, quae valorem supernaturalem obtinent.

Solvatur hoc Rationalistarum dilemma: supernaturale est consentaneum rationi seu naturae vel non: si prius, tunc est aliquid vere naturale: si posterius, tunc est impossibile utpote naturae contrarium.

#### § II. EXISTENTIA GRATIAE ET DONORUM GRATUITORUM IN ADAMO.

47. *Status quaestionis.* Possibilitate ordinis supernaturalis jam in tuto posita, remanet ut de ejusdem existentia in protoparentibus disseramus. Jamvero Rationalistae et Unitarii dona supernaturalia protoparentibus fuisse collata absolute negant, contenduntque hominem creatum fuisse in statu in quo nunc nascitur; imo non desunt inter modernos Infideles qui, post John Lubbock,\* hominem in statu infimo barbariae fuisse creatum doceant. Ex alterā parte, Protestantes plerique, nec non Jansenistae, fatentur quidem Adamum in statu justitiae et integritatis fuisse constitutum, sed simul post Lutherum † tenent illum statum naturalem fuisse: “haec tam naturalia fuere in Adamo quam naturale est quod oculi lumen recipiunt.” Duo igitur probare debemus, videlicet protoparentes in statu gratiae et integritatis fuisse constitutos, illumque statum esse supernaturalem.

Ut demonstratio melius intelligatur quaedam de gratia prae-notanda sunt. Gratia in genere est donum supernaturale, creatureae intellectuali a Deo concessum in ordine ad vitam aeternam. Duplex distinguitur: (a) *habitualis*, quae definitur qualitas supernaturalis, permanenter et intrinsece inhaerens animae, quā divinae participes naturae efficimur, Deo

\* The origin of civilization and the primitive condition of man.

† In *Genesim*, iii.

grati, ejusque filii adoptivi; gratia habitualis vocatur etiam *status gratiae*; (**b**) *actualis*, quae definitur auxilium quoddam supernaturale et transiens, quo Deus intellectum illustrat, et voluntatem adjuvat ad eliciendos actus supernaturales. Haec notio fusius exponetur in *Tr. de Gratia*.

48. **1.** *Thesis prima: PROTOPARENTES IN STATU GRATIAE CONSTITUTI FUERUNT.*—*De fide.*—Dicitur *constituti*, ut significetur illos aliquo saltem tempore gratia habituali fuisse ornatos, non autem *creati*, quia non absolute constat eos a primo instanti creationis gratiam accepisse.

(A) *Probatur Script.* (**a**) In *Genesi* (i, 26) legitur “Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,” seu, juxta vim hebraici textus, ad imaginem simillimam nostram; atqui, ex modo loquendi Scripturae, illa similitudo de gratia intelligi debet, nam licet per naturam aliquomodo Dei imaginem in anima nostra gerimus, non efficimur tamen ipsi perfecte similes nisi per gratiam et gloriam, ut constat ex his et similibus textibus “ut per haec efficiamini divinae consortes naturae” (2 *Petr.* i, 4); “similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est” (1 *Joa.* iii, 2).—Quod confirmatur communi Patrum interpretatione; alii enim, inter imaginem et similitudinem distinguentes, priorem de natura, posteriorem de gratia intelligunt; alii imaginem simul et similitudinem ad modum unius accipientes, utramque de gratiâ interpretantur.

(b) Ex libro *Eccles.* (vii, 30) “fecit Deus hominem *rectum*,” atqui, in sensu biblico, *rectus* ille dicitur qui est Deo acceptus et gratia habituali ornatus, v. g. “generatio rectorum benedicetur” (*Ps. exi*, 2).

(c) S. Paulus, neo-conversos alloquens, haec habet “renovamini autem spiritu mentis vestrae, et induite *novum hominem* qui secundum Deum *creatus est in justitia et sanctitate veritatis*” (*Ephes.* iv, 23–24). Jamvero plerique interpretes per novum hominem intelligunt Adamum, et tunc evidens est ex textu illum constitutum fuisse in statu gratiae. Pauci tamen hunc novum hominem Christum esse dicunt; hoc dato,

non concesso, vis argumenti non destruitur; nam semper remanet verum neo-conversos *renovari* per gratiam in pristino quodam statu in quo humanum genus ab initio fuerat constitutum, et illum statum esse statum justitiae, seu gratiae, et sanctitatis.

(b) Confirmatur ex totâ oeconomia christiana; siquidem ex Scripturâ constat finem Redemptionis fuisse genus humanum renovare, regenerare, reconciliare (*Rom. v, 14*; *2 Cor. v, 18*; *Coloss. i, 13*); atqui renovatio illa consistit in infusione gratiae sanctificantis (*Rom. iii, 24*); ergo genus humanum in eâdem gratia constitutum fuerat.

(B) *Traditione*, ex *Tridentino* (sess. v. can. 1) “Si quis non confitetur primum hominem Adam. . . . sanctitatem et justitiam, in quâ constitutus fuerat, amisisse. . . . A. S.”

49. *Corollaria.* (A) Homo creatus est ad *finem supernaturalem*. Etenim media proportionantur ad finem, seu aliis verbis, finis debet esse ejusdem ordinis ac medium; atqui gratia homini collata est medium supernaturale; ergo finis, ad quem destinatus fuit, est pariter supernaturalis.

(B) *De tempore* quo protoparentes in gratia constituti sunt dissentient theologi:

(a) Quidam, cum S. Bonaventura, docuerunt gratiam non fuisse Adamo collatam in primo instanti creationis suae, sed solum post aliquod tempus, ut sic ad gratiam suscipiendam sese praeparare posset.

(b) S. Thomas vero (i p. q. 95, a. 1), et cum illo communiter theologi, tenent Adamum in statu gratiae fuisse a Deo creatum; praecipui enim textus supra allati hoc declarare videntur “*faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. . . . qui creatus est in justitiâ et sanctitate.*” Aliunde consonat cum iis quae de Angelis Augustinus scribit (*De Civ. xii, 5*) “*Deus simul erat in eis condens naturam et largiens gratiam.*”

**2. Thesis secunda: PROTOPARENTES CONSTITUTI SUNT IN STATU NATURAE INTEGRAE, I. E. IMMUNES FUERUNT AB IGNORANTIA, CONCUPISCENTIA, DOLORE ET MORTE.**

50. (**A**) Immunes fuerunt ab *ignorantia*, eo sensu quod ab initio acceperint a Deo infusam scientiam tum naturalem, tum supernaturalem, suo statui proportionatam. Certum est.

(**a**) ex *Script.*, ubi dicitur “Disciplina intellectus replevit illos: creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum: et mala et bona ostendit illis” (*Eccli.* xvii, 5). Exemplum hujus scientiae exhibetur in *Genesi* (ii, 19–20) “appellavitque Adam *nominibus suis* cuncta animantia, et universa volatilia coeli et omnes bestias terrae;” atqui appellare omnia animalia nominibus ipsis convenientibus est certe insignis scientiae specimen; ergo.

(**b**) *Rat. Theol.* Primus homo, utpote caput non solum physicum sed morale totius generis humani, ad caeteros homines instruendos in rebus fidei et in scientiis naturalibus destinabatur; atqui alios recte instruere non poterat nisi scientiā satis perfecta polleret. Nihil tamen probat eum cognovisse omnes naturales scientias, quae nunc a peritis coluntur; talis enim cognitio ipsi necessaria non fuit ad rectam vitae institutionem (*Sum. Theol.* i p., q. 94, a. 3).

51. (**B**) Immunes fuerunt a *concupiscentia*, i. e. a motibus inordinatis quibus appetitus sensitivus ad sensibilia fertur etiam contra rationis ordinem. Certum est.

(**a**) ex *Script.*, in qua tria declarantur: **1**, *ante lapsum* protoparentes de sua nuditate non erubuisse “Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus, et non erubescabant;” **2**, eosdem *post lapsum* suam nuditatem animadvertisse “Et aperti sunt oculi amborum; cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia fieri;” **3**, causam cur hoc animadverterint ipsorum inobedientiam fuisse “Quis indicavit tibi, quod nudus essem, nisi quod ex ligno, de quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti?” (*Gen. ii, 25; iii, 7, 11.*) Porro haec omnia nihil aliud significare possunt nisi protoparentes ante peccatum concupiscentiae stimulus non expertos fuisse; ergo.

(**b**) ex *Tridentino* declarante concupiscentiam ab Apostolo peccatum vocari “quia ex peccato est et ad peccatum inclinat”

(*Sess.* v, 5); jamvero si ex peccato est, ante peccatum non existebat.

(c) *Ratio convenientiam hujus immunitatis ostendit* :—in statu innocentiae voluntas hominis perfecte Deo subdebatur; atqui decebat ut, quamdiu homo manebat Deo subjectus, rationi vires inferiores obedirent, et animae corpus; ergo. (*Sum. Theol.* i, q. 95, a. 1).

52. (C) Immunes fuerunt *a morte*, in eo sensu quod, expleto probationis tempore, vivi ad vitam immortalem translati fuissent. *De fide est.*

(a) ex *Script.*, sive directe, ubi dicitur “Deus creavit hominem inextirminabilem” (*Sap.* ii, 23); sive indirecte, ex locis in quibus declaratur mortem esse poenam peccati “in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris” (*Gen.* ii, 17); “Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors” (*Rom.* v, 12).

(b) ex *Conciliis*, ex Conc. Arausiano II: “Quicumque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore. . . . A. S.”—Idem definivit *Trident.* sess. v, 1–2.

53. (D) Immunes fuerunt *a dolore*, singularique felicitate gaudebant. Ita communiter. Probatur.

(a) *Script.*, ex *Gen.* ii, 15 “Posuit eum in *paradiso voluptatis*, ut operaretur et custodiret eum;” jamvero *paradisus voluptatis* excludere videtur omnem dolorem et infirmitatem.—Confirmatur ex eo quod dolores improbique labores exhibentur ut peccati poenae (*Gen.* iii, 16–19).

(b) Confirmatur ex variis populorum traditionibus circa auream aetatem,\* quas legere est apud profanos auctores:

“Aurea prima stata est aetas, quae vindice nullo  
Sponte sua fidens rectumque colebat” (*Ovid. Metam.* i, 89).

---

\* Illae traditiones legi possunt apud *F. Lenormant*, *Origines de l’Histoire*, ch., ii; *Geikie*, *Hours with the Bible*, *The Story of Eden*, *Origin of Man*; *Thein*, *Christian anthropology*, 221 ff.

54. *Corollarium.*

Errant igitur qui, cum J. Lubbock aliisque, asserunt primos homines fuisse barbariae addictos, et nonnisi post multa saecula vitam rationalem et socialem duxisse.

(A) Talis enim hypothesis non solum mosaicae narrationi, sed etiam variis populorum traditionibus, contradicit, quae auream aetatem describunt, in qua primi homines piam felicemque vitam ducebant; porro haec universalis traditio explicari nequiret, si homines fuissent in statu barbariae creati.

(B) Insuper argumenta adversariorum non valent: (a) dicunt siquidem barbaras gentes, quae etiam hodie existunt, reliquias esse priorum hominum et testes primitiae eorum conditionis. Hoc autem plane gratuitum est, imo aperte falsum; multae enim ex Gentibus, quae nunc in infimo statu vivunt, antiquitus altiorem civilizationem habuerunt; ut constat tum ex monumentis quae erexerunt, tum ex lingua quae apud ipsos in usu fuit; ita v. g. Mexicanii, Peruviani, etc. Igitur status ille infimus optime explicari potest per quamdam morum corruptionem, eo magis quia facilius est in deteriorem statum labi quam ab illo in altiorem erigi. “Whenever we can trace back a religion to its first beginnings, we find it free from many blemishes that affected it in its later stages.”\*

(b) arguunt pariter ex constanti progressu quo tendimus nunc ad veram civilizationem;—sed ex historiâ constat talem progressum non esse de facto constantem, sed varias secutum esse fortunas secundum varia tempora, variasque locorum circumstantias.—Unde ex hoc nihil deduci potest contra primum primi hominis statum.

### § III. DE SUPERNATURALITATE GRATIAE ET DONORUM ADAMO COLLATORUM.

55. *Thesis prima: ORDO GRATIAE, ADAMO EJUSQUE POSTERIS COLLATUS, EST VERE SUPERNATURALIS.*—Certum est contra Protestantes, Baium et Jansenistas.

---

\* Max Müller, *Chips from a German Workshop*, i, p. xxiii.—Vide *Primeval Man*, by the Duke of Argyll.

*Explicatur*: sub nomine ordinis gratiae comprehendimus sive gratiam, sive gloriam, quae est illius complementum. Supponimus insuper gratiam Adamo collatam ejusdem esse generis ac ea quae nobis per Christum datur; nullibi enim Scriptura inter utramque distinguit, sed contra, ex textibus supra allatis, manifeste supponit nos per gratiam renovari et restaurari in statu sanctitatis antea protoparentibus collato.

56. (**A**) *Probatur Script.* (**a**) De *gratia* dicitur: "videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus" (1 Jo. iii, 1); unde sic: per gratiam vere efficimur filii Dei adoptivi; atqui, nulla creatura jus habet ad talem adoptionem, nam adoptio alicujus extranei est essentialiter libera et indebita, unde S. Jacobus (1-18) dicit: "*voluntarie* genuit nos verbo veritatis;" ergo, nulla creatura jus habet ad gratiam. Insuper, per gratiam transformamur, et evehimur ad statum superiorem, nempe ad consortium divinae naturae, juxta illud: "ut per haec efficiamini divinae consortes naturae" (2 Pet. i, 4);

Atqui nulla creatura jus habet ut elevetur ad ordinem superiorem, et a fortiori ad ordinem divinum; ergo.—

(b) de *gloria* dicitur: "similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est" (1 Jo. iii, 2) et alibi (1 Tim. vi, 16): "Deus lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vedit, sed nec videre potest;" unde sic: ex primo textu, per gloriam destinamur ad videndum Deum intuitive, facie ad faciem; atqui, ex secundo, nullus homo potest naturaliter videre Deum. Vide etiam Matt. xi, 27; ergo gloria est omnino supra vires et exigentias hominis, ac proinde indebita.

Insuper, per gloriam efficimur "haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi" (Rom. viii, 17); atqui, nulla creatura jus habet ad talem haereditatem; haereditas enim non debetur nisi filiis; jamvero, nullum ens creatum jus habet ut efficiatur filius Dei etiam adoptivus. Ergo.

57. (**B**) *Tradit.* (**a**) circa *gratiam* :—damnata fuit a S. Pio V, saltem ut falsa, sequens Baii propositio: "Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae

debita fuit integratati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis (Denzinger n. 901); igitur, vera est contradictionia, scilicet: talis elevatio est supernaturalis.—

(b) circa gloriam:—Conc. Viennense ut haereticam damnavit sequentem propositionem: “Quaelibet intellectualis creatura in seipsa est naturaliter beata (seu destinata ad visionem beatificam), et anima non indiget lumine gloriae, ipsam elevante ad Deum videndum:”—igitur, de fide est contradictionia, scilicet: aliqua saltem creatura intellectualis non destinatur naturaliter ad visionem beatificam, et anima nostra indiget lumine supernaturali gloriae ad Deum videndum.

58. (C) Ratione confirmatur: Illud enim quod pertinet ad essentiam et naturam hominis, non potest amitti; essentiae enim sunt immutabiles; atqui, gratia Adamo collata, fuit ab ipso amissa; ergo, non pertinebat ad naturam ejus, seu non erat ipsi debita.

59. Objicitur: Inest homini appetitus naturalis, seu desiderium naturale, ad Deum videndum; atqui, quod homo naturaliter appetit, est ei debitum et naturale; ergo.

Resp. Ad difficultatem solvendam, duplex distingui potest appetitus; unus *naturalis*, alter *elictus*; prior est propensio nativa ad aliquod bonum, nulla praesupposita cognitione illius, ut est v. g. naturalis inclinatio ad beatitudinem in genere; talis appetitus frustrari nequit;—posterior, autem, est propensio libera in bonum jam cognitum, et talis appetitus frustrari potest, quando scilicet versatur circa objecta impossibilia vel indebita.

Jamvero, homo nullum habet naturalem appetitum ad beatificam visionem, quae omnino transcendit ejus vires naturales, nec proinde ipsi debetur talis visio. Homo potest quidem habere appetitum elictum conditionalem ad videndum Deum, quando cognoscit visionem beatificam esse possibilem, imo esse maximum bonum; sed tale desiderium non ipsi dat jus exigendi illud bonum, sicut v. g. desiderium elictum a puerο volandi per aerem, non dat ipsi jus ad accipiendas alas et ad volandum.

## PATA

*Thesis secunda: DONA PRAETERNATURALIA, PROTOPARENTIBUS COLLATA ERANT GRATUITA ET PRAETERNATURALIA.*  
Certum est.

59. (**A**) *Argumentum generale.* Damnatae fuerunt sequentes Baii propositiones: "Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio." "Deus non potuisset ab initio talem creare hominem qualis nunc nascitur;" certa est igitur contradictoria, scilicet, integritas non fuit debita humanae naturae, et Deus potuisset creare hominem qualis nunc nascitur, excepto peccato, ac proinde cum ignorantia, concupiscentia, infirmitatibus et morte.

60. (**B**) *Speciatim de immunitate ab ignorantia.* Ignorantia, de quâ hic agitur, est quaedam rationis debilitas, quâ existente, homo difficulter ad veri cognitionem pertinet, et in errorem facile labitur. Immunitas autem ab ignorantia est specialis acies intellectus, quâ fit ut homo facillime scientiam acquirat. Unde sic:—Illud solum est homini debitum quod necessarium est ut possit finem suum cognoscere, nec non media ad illum attingendum; atqui, etiam cum actuali difficultate verum adipiscendi, homo potest finem suum et media ad finem consequendum cognoscere; ergo, immunitas ab ignorantia ipsi non debebatur.

61. (**C**) *De immunitate a concupiscentiâ.* Concupiscentia, de quâ hic agitur, est inclinatio appetitus sensitivi ad bonum sensibile, etiam contra ordinis rationem.

His positis, sic argumentari datur:—Immunitas a concupiscentiâ in tantum esset homini debita, in quantum concupiscentia repugnaret vel in se, vel libertati, vel nativae hominis conditioni; atqui nullum ex his dici potest:

(a) non repugnat in se,—nam, quidquid dicant Prosternentes, concupiscentia *in se* non est peccatum, sed solum defectus naturalis, vi cuius ad peccatum inclinamur;—ad peccatum enim requiritur cognitio intellectus et liber voluntatis consensus; jamvero, concupiscentia existere potest in nobis quin ei consentiamus; ergo.

(b) nec libertati ;—nam, non obstante concupiscentiâ, homo potest adhuc recte judicare, et rationis judicium sequi.

(c) nec nativae conditioni hominis ;—nam econtra, concupiscentia naturaliter defuit ex hominis constitutione ; siquidem, facultates sensibles hominis naturaliter tendunt ad bonum sensibile, dum facultates intellectuales tendunt ad bonum spirituale ; atqui, ex illis contrariis propensionibus, pugna naturaliter oritur, quae concupiscentiam constituit ; ergo.

62. (D) De *Immortalitate*. Item immortalitas non est debita homini ; nam duobus modis mors naturaliter evenire potest, vel ab extrinsecâ causâ, v. g. per ignem, aquam,ensem, etc., vel ab intrinseca causâ, scilicet naturali corruptione corporis ; atqui, Deus non tenetur hujus duplicis cause impedire effectum ; ergo homo est naturaliter mortalis.

63. (E) De *Impassibilitate*. Tandem, impassibilitas non erat homini debita. Nam natura humana, utpote sensitiva, naturaliter est obnoxia jueundis aut injueundis sensationibus quae per agentia naturalia causantur ; atqui, Deus minime tenetur impedire naturalem cursum agentium naturalium ; ergo, non tenetur hominem reddere impassibilem.

### III. Corollaria.

64. 1. *Status naturae purae est possibilis*.—Certum est contra Baianos et quosdam Augustinianos, qui contendunt, attentis Dei attributis, ejus praesertim sapientiâ et bonitate, hominem non potuisse creari in statu naturae purae, seu cum concupiscentia, etc.

Constat : (A) ex damnatione propositionis Baii supra allatae.

(B) *Rat. Theolog.* Status naturae purae consistit in eo quod homo ad finem naturalem destinetur, mediaque sufficientia ad hunc finem attingendum accipiat ; atqui, Deus non tenetur aliquid amplius dare homini, quum ex dictis, tum gratia tum bona praeternaturalia sint homini prorsus indebita. Nec in hoc laeditur bonitas divina, quae satis manifestatur per largitionem donorum naturalium,—aut sapientia, quae requirit solum ut Deus homini praebeat media ad finem suum attingendum necessaria.—Ergo.

65. **2.** *Triploris generis bona protoparentibus collata fuerant:*

- (A) Bona naturalia, scilicet corpus et anima rationalis . . . ut explicatum est in Philosophia.
- (B) Bona praeternaturalia, scilicet immunitas ab ignorantia, concupiscentia, dolore et morte.
- (C) Bona supernaturalia, scilicet gratia sanctificans cum virtutibus infusis aliis que privilegiis quae eam comitantur.

### ARTICULUS III. DE HOMINIS LAPSU.

#### § I. *De Existentia originalis peccati.*

Post dicta de Elevatione hominis ad statum supernaturalem, do ejusdem lapsu disserere oportet, et primum quidem de existentia peccati originalis sive in Adamo sive in ejus posteris.

#### I. *De lapsu seu peccato personali protoparentum.*

66. **1.** *Ejus existentia:—PROTOPARENTES MANDATUM SIBI A DEO DATUM TRANSGRESSI SUNT, AC PROINDE PECCAVERUNT. De fide.*

*Probatur Script.* Ad thesim demonstrandam duo sunt probanda: protoparentes verum praeceptum accepisse, illudque transgressos fuisse; atqui utrumque constat:—

(A) nam Deus prohibuerat ne, sub poena mortis, protoparentes comedenter de ligno scientiae boni et mali: “in quo cumque enim die comederis ex eo, morte morieris.” *Gen. ii, 17.*

(B) aliunde protoparentes libere comedenter de illo fructu (*Gen. iii, 6*), et per hoc peccaverunt, juxta illud S. Pauli: “per unum hominem in hunc mundum intravit” (*Rom. v, 12*). Quod quidem peccatum commiserunt instigante Satana sub forma serpentis (*Gen. iii, 1-6*); confirmatur ex *Sap. ii, 24* “invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum.”

*Tradit.* “Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei fuisset transgressor, etc., A. S.” (*Trid.*, sess. v, 1).

*Ratione.* Ratio non potest quidem demonstrare existentiam peccati Adae, sed solum investigare quomodo homo peccare

potuerit, cum esset immunis a concupiscentia. Jamvero immunitas a concupiscentia tollebat quidem unam e causis peccati, non autem omnes:—siquidem voluntas hominis remanebat libera, et peccabilis: omnis enim voluntas creata est defectibilis; atqui non est mirum quod voluntas defectibilis aliquando deficiat et peccet: ergo. Confirmatur exemplo angelorum, qui etsi nullam concupiscentiam haberent, peccare potuerunt, et de facto peccarunt. Ratio autem cur Deus creavit homines et angelos liberos et peccabiles erat ut sic mereri et demereri possent: melius est enim finem suum attingere libere quam veluti coacte.

67. (2.) *Eius Gravitas*:—Transgressio Adami fuit grave peccatum. Certum est et constat: (A) Ex *gravitate praecepti*; Gravitas peccati pendet ex gravitate praecepti; atqui praeceptum impositum protoparentibus erat omnino grave, ut patet (a) ex *fine praecepti*: Deus enim volebat per illam prohibitionem exigere tributum subjectionis et obedientiae; atqui homo tenetur sub gravi illud tributum Deo solvere: ergo. (b) ex comminatione gravis poenae: eo enim gravius appetit praeceptum quo majori poena sancitur; atqui poena comminata erat gravissima, scilicet poena mortis pro corpore et anima; ergo.—

(B) Ex variis malitiis in illo peccato inclusis.

Nam protoparentes, violando divinum praeceptum multa peccata commiserunt, scilicet:

(a) Uterque commisit peccatum *superbiae*, appetendo similitudinem Dei modo inordinato, juxta illud quod serpens dixerat: “et eritis sicut Dei” *Gen. iii, 5*. Hinc dicitur:—“in ipsa (*superbia*) initium sumpsit omnis perditio” (*Tob. iv, 14*).

(b) Uterque commisit peccatum curiositatis, scientiam inordinate appetendo, juxta illud serpentis “et eritis sicut Dii, scientes bonum et malum.

(c) Ambo pariter peccatum *inobedientiae* commiserunt, dum violarunt divinum praeceptum. Unde dicitur “per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi” (*Rom. v, 19*).

(d) Tandem Adamus commisit peccatum inordinati amoris erga uxorem, dum, illa suggestente, fructum comedit; Eva autem peccatum *gulæ* “vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum” (*Gen.* iii, 6); peccatum *scandali*, dum fructum praebuit viro; imo, juxta probabilem sententiam, peccatum infidelitalis commisit, credendo verbis diaboli: dicitur enim a S. Paulo (*1 Tim.* ii, 14). “Vir non est seductus, mulier autem seducta in *praevaricationem* fuit.”

## II. *De peccato originali in Adae posteris.*

69. *Status quaestionis.* Dogma est Catholicum Adamum peccando, non solum sibi, sed etiam nobis, amisisse sanctitatem, in qua constitutus fuerat, et nobis transmittere reatum culpæ, quo peccatores ab initio constituimur. Illud peccatum, quod posteri Adae contrahunt in sua origine, vocatur peccatum originale: eius natura postea explicabitur.

Nunc autem eius existentiae demonstranda est contra Pelagianos et Unitarios, qui contendunt Adami peccatum ipsi soli, non autem eius posteris nocuisse nisi forte malum exemplum praebendo, et textus Scripturae intelligunt de peccato actuali quod committimus in imitationem peccati Adae. Rationalistarum difficultates infra exponentur et solventur.

70. *Thesis:* OMNES HOMINES, EX ADAMO NATURALITER GENITI, EXCEPTA B. VIRGINE, IN CONCEPTIONE SUA PECCATUM ALIQUOD CONTRAHUNT, QUOD MERITO VOCATUR ORIGINALE PECCATUM.

*De fide est.* Dicitur “naturaliter geniti,” nam, quum peccatum originale per generationem transmittatur ex dicendis, si quis homo a Deo directe crearetur aut extra leges naturales ciperetur, non esset obnoxius originali culpæ; exceptio autem pro B. Virgine probatur in Tr. de Incarnatione.

71. **I. Scriptura.** (A) S. Paulus (*Rom.* v, 12–20), comparisonem instituens Adamum inter et Christum, haec habet: “Sicut per unum hominem *peccatum* in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in *omnes homines* mors pertransiit, in quo *omnes peccaverunt*. . . . Sicut enim per inobedientiam unius hominis *peccatores constituti* sunt multi,

ita et per unius obedientiam justi constituentur multi. Unde sic:—ex his verbis constat per Adamum peccatum aliquod intravisse in hunc mundum, i. e. in omnes homines, ut ex contextu apparet, et per Adamum omnes homines peccatores constitutos fuisse; atqui peccatum de quo agitur est peccatum originale; etenim,

(a) est *verum peccatum*, et non solum poena peccati, ut volunt Pelagiani et Unitarii; nam Apostolus sedulo distinguit inter peccatum ipsum quod vocat *amartia* (*The sin*), et mortem quae est poena peccati, et asserit utrumque incurri; insuper addit per Adamum homines *peccatores constitutos* fuisse; quod non potest interpretari nisi de peccato vere animae inhaerente:—

(b) illud peccatum non est peccatum actuale quod committitur in imitationem peccati Adae, nam in versiculo 14 asseritur mortem, ac proinde peccatum, quod est causa mortis, incurri etiam ab iis qui nullum actuale peccatum commiserunt “regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae;”—ergo illud peccatum non potest esse nisi peccatum originale.

Confirmatur ex his verbis “nos omnes eramus natura filii irae” (*Ephes. ii, 3*), quibus significatur omnes homines natura esse Deo odibiles; atqui non possunt esse Deo odibiles nisi per peccatum; ergo.

72. (B) Duo alii textus in controversia pelagiana a Patribus adducti sunt, sed vim probabilem solum habent:—

(a) Prior sic legitur in Vulgata “quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?;” in hebraico textu “quis dabit mundum de immundo? Ne unus quidem” (*Job. xiv, 4*).

Septuaginta habent: “Quis enim mundus a sorde? Nullus, etsi una dies sit vita eius super terram.” Jamvero tum Vulgata, tum versio Septuag. clare intelliguntur de peccato originali, sed textus hebraicus, qui solus inspiratus est, potest quidem interpretari de macula originali, sed posset etiam significare nos omnes peccatores esse, quia ex parentibus pec-

catoribus concepti sumus :—ac proinde argumentum non est convincens.

(b) Posterior ex psalmis (L, 5) desumitur: “ecce enim in iniquitatibus (hebr. pravitate) conceptus sum, et in peccatis (hebr. peccato) concepit me mater mea;”—atqui illa verba possunt intelligi de concupiscentia, quae aliquando peccatum appellatur, eo magis quia hic David veniam suam implorat dicendo se conceptum fuisse in infirmitate, in pravitate, seu cum inclinatione ad malum; quae omnia de concupiscentia intelligi valent. Attamen illa concupiscentia non potest recte vocari *peccatum* nisi quia procedit a peccato protoparentum, et sic indirecte saltem argumentum ex hoc textu desumitur.

73. 2. *Trad. (A) Ex Patribus*:—Adversarii fatentur a tempore S. Augustini doctrinam de peccato originali fuisse communiter a Patribus traditam; quidem autem accusant S. Augustinum eo quod primus illud dogma docuerit: sed hoc est omnino falsum, nam St. Augustinus ipse profert testimonia multorum Patrum sibi anteriorum, qui eamdem doctrinam aperte docuerunt.

Et revera S. Justinus, S. Irenaeus, Tertullianus, Origenes multique alii peccati originalis existentiam tenuerunt (B. 217).

Adest tamen difficultas quoad Patres graecos, qui minus directe de peccato originali scripserunt, sed illud facile explicatur quia tunc temporis vigebant Manichaei, qui peccatum originale exaggerabant; unde non opportunum erat nimis urgere illud doctrinae punctum. Objicitur quoque verbum S. Chrysotomi dicentis infantes non habere peccata antequam baptizentur, sed hoc intelligendum est de peccatis propriis et actualibus, ut jam animadvertebat S. Augustinus (Vide *Hurther*, ii, n. 405).

(B) *Ex Conciliis*: Viginti quatuor concilia, ab anno 412 ad annum 431, pelagianam haeresim de peccato originali damnarunt. Sufficiat referre verba *Tridentini*, “Si quis Adae prævaricationem sibi soli, et non eius propagini, asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem, et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum

illum per inobedientiae peccatum, mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae. A. S."

(C) *Ex praxi ecclesiae*: quae semper baptizavit infantes in remissionem peccatorum "credo unum baptismum in remissionem peccatorum;" jamvero cur baptizarentur infantes in remissionem peccatorum, si nullum originale peccatum habent? Idem probant varii exorcismi, qui in baptismo adhibentur, ad fugandum diabolum.

#### 74. *Solvuntur difficultates.*

Difficultates, quae ex ratione petuntur, solvi nequeunt nisi post ea quae dicemus de natura et transmissione peccati originalis: hic igitur sufficiat solvere difficultates ex S. Scriptura.

**1. Obj.** — Apud *Ezechielem xviii, 20*, dicitur "anima quae peccaverit, ipsa morietur; filius non portabit iniquitatem patris."

*Resp.* — Filius non portabit iniquitatem patris, si nullomodo fuit particeps illius, concedo; si autem fuerit particeps illius nego; nam tunc merito punietur. Jamvero omnes Adae posteri fuerunt participes peccati eius, in eo sensu quod Adamus, constitutus a Deo procurator totius generis humani, egit non solum nomine proprio, sed etiam nomine omnium eius posteriorum, ut infra explicabitur. Textus autem allatus refertur ad peccata personalia parentium, quae non transmittuntur posteris.

**2. Obj.** Dicitur in S. Paulo *Rom. v, 19*: "per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; atqui vox 'multi' indicat non omnes tale peccatum incurrisse; ergo. Resp. Vox illa 'multi' idem significat ac omnes 'qui multi sunt' nam in versiculo praecedenti dictum fuerat 'sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem,'" etc. Igitur S. Paulus adhibet utrumque vocabulum, scilicet *omnes* et *multi*, ad significandum omnes homines, qui peccatum originale incurrint, esse multos.

**3. Obj.** S. Paulus declarat gratiam redemptionis in *plures* abundavisce quam delictum "si unius delicto multi mortui sunt, multo magis Dei in *plures* abundavit" *Rom. v, 15*,

atqui si ita est, peccatum originale non fuit universale; ergo.  
*Resp.*—In textu originali graeco non invenitur vox *plures* sed vox multos (*tous pollous*), ac proinde difficultas evanescit, et solvitur sicut in praecedenti argumento.

### § II. DE NATURA ORIGINALIS PECCATI.

Existentia originalis peccati facile probatur, sed ejus natura non tam facile investigatur, teste Augustino, qui scribit; “nihil ad intelligendum secretius.” Ut recte procedamus, **1.** referemus imprimis falsas sententias; **2.** deinde sententiam veram proponemus.

#### 75. **I.** *Falsae Sententiae.*

Inter falsas sententias, aliae peccant per excessum, exagerando peccatum originale, aliae per defectum.

##### **1.** Per excessum.

(A) Imprimis haeretica est sententia Matthiae Illyrici, Lutheri discipuli, qui docuit originale peccatum esse ipsam animae substantiam essentialiter corruptam, esse veluti imaginem diaboli in animâ impressam. Talis sententia omnino rejicienda est, quia (a) supponit aliquam substantiam esse malam: quod est praecise error Manichaeorum: (b) facit Deum auctorem peccati; solus enim Deus potest creare animam nostram: si igitur animae nostrae substantia est mala, Deus est auctor mali. Aliunde talis theoria hodie rejicitur a plerisque Protestantibus.

76. (B) Rejicienda est pariter ut haeretica sententia Lutheranorum et Calvinistarum, qui docent originale peccatum consistere in haereditariâ corruptione, et praesertim in concupiscentia, quae Adami culpam subsecuta est. Etenim,

(a) *Scriptura* distinguit inter peccatum et concupiscentiam, et docet hanc non esse peccatum, nisi quando obtinuerit consensum voluntatis: talis est enim sensus illius textus: “unusquisque tentatur a concupiscentiâ suâ . . . deinde concupiscentia, quem conceperit (i. e. quando accedit consensus voluntatis) parit peccatum” (*Jac. i, 14–15*). Jamvero si concupiscentia non sit peccatum, essentia peccati originalis in eâ reponi nequit—Respondent quidem Protestantes concupis-

centiam esse peccatum, quia ita vocatur ab Apostolo, et quia omnis motus concupiscentiae a Deo prohibetur: "non concupisces" (*Rom.* vii, 7). Sed illud admitti nequit, nam concupiscentia non vocatur peccatum in stricto sensu, sed tantum causaliter, eo sensu quod sit una ex causis peccati; aliunde per verba, "non concupisces," prohibitur motus deliberati concupiscentiae, non autem ipsa facultas concupiscendi, quae in nobis naturalis est.

(b) *Tridentinum* (*Sess.* v, 6), expresse docet per Baptismum penitus tolli originale peccatum; atqui tamen concupiscentia remanet in baptizatis: ergo, peccatum originale non consistit in concupiscentia.

(c) Ipsa *ratio* idem dicit: si enim originale peccatum consistit in concupiscentia, illud intelligendum est vel de concupiscentia actuali, vel de concupiscentia habituali; atqui neutrum dici potest; non prius, quia concupiscentia actualis non existit in pueris, qui tamen maculantur originali peccato: non posteriorius, quia habitualis concupiscentia seu mera inclinatio ad malum potest quidem defectus esse, non autem peccatum, nisi voluntas ei consentiat.—Ergo.

## 2. *Per Defectum.*

77. Rejicienda est ut falsa, aut saltem parum probabilis, sententia Catharini et Pighii, aliorumque theologorum, qui dixerunt peccatum originale nihil aliud esse nisi peccatum actuale Adami nobis extrinsece imputatum, eodem fere modo quo crimen alicujus nobilis viri extrinsece imputatur ejus filiis. Illa sententia peccat per defectum, eo sensu quod nimis minuit naturam originalis peccati;—nec admitti potest; nam,

(a) Juxta *Tridentinum* (*Sess.* v, 3) originale peccatum inest unicuique proprium, et per illud homines propriam in justitiam contrahunt; atqui quod extrinsece tantum imputatur, non potest dici unicuique proprium; ergo.

(b) Insuper ex eodem Concilio (*Sess.* v, 5) peccatum originale non solum cessat imputari sed vere deletur per baptismum; atqui, supposita sententiâ Catharini, per baptismum peccatum originale solummodo cessaret nobis imputari; Ergo.

II. *Vera Sententia* :—

78. 1. Explicatur. Ad intelligendum quid sit originale peccatum, quaedam sunt praenotanda:—(*A*) Peccatum in genere est aversio a Deo, ultimo fine, et conversio ad creaturas. Dividitur in peccatum *actuale* et *habituale*: prius est ipse actus quo transgredimur legem et avertimur a Deo: posterius autem est status aversionis a Deo, post actum peccaminosum perseverans, usquedum scilicet poenitentia agatur. (*B*) Jamvero peccatum originale non est peccatum *actuale*, cum in pueris existat, qui nullius actus sunt capaces; est igitur peccatum *habituale*, seu status quidam peccaminosus, quo remanemus aversi a Deo, ut fine supernaturali. (*C*) Insuper ille status non est quid positivum, non est habitus positive inclinans animam nostram in malum, sed est quid negativum, et potest definiri; privatio gratiae sanctificantis, qua avertimur a Deo ut fine supernaturali, et quae est nobis aliquo modo voluntaria ex nostrâ cum Adamo connexione.—Dicitur.

(*a*) *privatio gratiae sanctificantis*—i. e. non simplex defec-  
tus, non simplex imperfectio, sed carentia alicujus qualitatis  
quae deberet nobis inesse; siquidem de facto homo destinatur  
ad finem supernaturalem, ac proinde ad gratiam sanctificantem;  
jamvero in statu praesenti nascitur sine gratia, et illa gratiae  
carentia est vera privatio, sicut esset v. g. absentia unius oculi  
pro corpore.

(*b*) *qua avertimur . . .*; illa privatio nos constituit in  
statu aversionis a Deo, ut fine supernaturali; siquidem gratia  
sanctificantis, et ea sola, nos potest convertere ad Deum, ut  
finem supernaturalem: ac proinde, ille qui nascitur sine  
gratia non convertitur ad Deum, sed e contra habitualiter  
avertitur ab eo.

(*c*) *quae est nobis voluntaria ex . . .* nam illa privatio  
gratiae non est voluntaria ex actu propriae voluntatis, cum  
incurratur antequam libere agere possimus, sed ex actu pec-  
camino Adae, qui utpote caput morale totius generis humani,  
libere peccavit et amisit sibi et nobis illam gratiam.

79. 2. *Probatur.*

(**A**) Peccatum originale essentialiter consistit in privatione gratiae, seu in habituali aversione a Deo, fine supernaturali. Etenim (**a**) ex sacra *Scriptura* per peccatum originale constituimur natura filii irae (*Ephes.* ii, 3) et inimici Dei (*Rom.* v, 10); atqui illud quod reddit nos Deo odibiles est praecise privatio gratiae sanctificantis, quia talis privatio nos constituit in statu aversionis a Deo, ergo peccatum originale in illa privatione consistit. (**b**) Ex Concilio *Tridentino* (*Sess. v*, 2) peccatum originale est mors animae seu mors spiritualis; atqui mors spiritualis nihil aliud est nisi privatio gratiae, quae est vita animae nostrae; ergo peccatum originale in illa privatione consistit.—Item ex eodem Concilio (*Sess. v*, 5) peccatum originale est id quod tollitur per baptismum; atqui per baptismum tollitur privatio gratiae; ergo.

(**B**) Peccatum originale est voluntarium ex *nosta connexione* cum Adamo. (**a**) Res sic explicari potest. Adamus erat naturaliter caput physicum totius generis humani, eo sensu quod vitam physicam et naturalem posteris transmittere debebat. Sed insuper, per ordinationem et legem positivam, Deus constituit Adamum caput morale nostrum, seu procuratorem omnium posteriorum ipsius, eo sensu quod debebat etiam illis transmittere, per naturalem generationem, gratiam et alia dona supernaturalia: ex hoc sequebatur quod si Adamus amitteret gratiam per peccatum, illam amitteret non solum sibi, sed etiam nobis; procurator enim agit non solum nomine proprio, sed etiam nomine totius societatis, quam repreäsentat. Jamvero de facto Adamus libere peccavit, et, loco gratiae sanctificantis, transmittit nobis statum aversionis a Deo: talis status peccaminosus non est voluntarius in nobis voluntate propria et personali, sed est voluntarius indirecte et mediate, quatenus fuit volitus ab eo qui modo legitimo constitutus fuerat procurator noster. (**b**) His positis, sic probatur assertio nostra:—Vel admittenda est explicatio supra tradita, vel dicendum Adamum jure naturali, sine ulla lege positiva, fuisse procuratorem nostrum, vel tandem asserendum est Deum positive

inclusisse omnes voluntates nostras in Adamo; atqui duae posteriores hypotheses repugnant,

**1.** Repugnat prior, quia si Adamus ex jure naturali fuisset procurator noster, omnia ejus peccata actualia ad posteros transiissent, imo peccata omnia parentum jure ad filios etiam nunc transirent.

**2.** Repugnat posterior, quia voluntas nostra, quae adhuc non existebat, non poterat includi in voluntatem Adami, eo magis quia voluntas nostra, immediate venit a Deo, nec continetur etiam virtualiter in Adamo.

Ergo accipienda est explicatio supra tradita.

#### 80. *Corollarium.*

*Peccatum originale per activam generationem transmittitur.*

(A) Etenim, ex dictis, illi soli incurruunt originale peccatum quorum Adamus procurator fuit constitutus; atqui Adamus non fuit constitutus procurator nisi posteritatis suae, i. e. eorum quos ipse active erat generaturus; ergo.

(B) Confirmatur ex Tridentino dicente: "Hoc Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione non imitatione transfusum" (*Sess. v, 3.*)

#### § III. DE EFFECTIBUS ORIGINALIS PECCATI.

Illi effectus considerari possunt tum in protoparentibus tum in eorum posteris.

##### I. *In protoparentibus.*

81. *Thesis:* PER PECCATUM, PROTOPARENTES AMISERUNT BONA SUPERNATURALIA, SEU GRATIAM, ET BONA PRAETERNATURALIA. *De fide*, est quoad gratiam et immortalitatem, certum est quoad alia bona praeternaturalia.

Probatur **1.** *quoad gratiam*: (A) *Script.* — Etenim ex dictis, protoparentes graviter peccaverunt; atqui status justitiae seu gratiae est incompossibilis cum statu peccati juxta illud "quae enim participatio justitiae cum iniustitate? aut quae societas lucis ad tenebras?" (*2 Cor. vi, 14*); Ergo.

(B) *Traditione.* "Si quis non confitetur primum hominem, cum mandatum Dei transgressus fuisset, statim sanctitatem et justitiam amisisse . . . incurrisseque . . . iram et

indignationem Dei, atque ideo mortem . . . et cum morte captivitatem diaboli. . . . A. S." (*Trident. Sess. v*, 1).

(**2.**) Quoad dona praeternalia: (**A**) *Script.* (**a**) Amiserunt immunitatem a concupiscentia; nam dicitur, "aperti sunt oculi eorum, cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus" (*Gen. iii, 7*); atqui talis agendi ratio protoparentum ostendit illos sensisse primos concupiscentiae motus.

(**b**) . . . immortalitatem, juxta illud "pulvis es et in pulvere in reverteris" (*Ibid. 19*).

(**c**) . . . felicitatem terrenam; nam ejecti sunt e paradiſo voluptatis, et laboribus infirmitatibusque obnoxii facti sunt; "in sudore vultus tui vesceris pane . . . in dolore paries filios," etc. (*Gen. iii, 16–20*).

(**B**) *Trad.* ex textu Trid. supra citato.

(**C**) *Ratione theol.* :—Dona praeternalia annexa erant statui justitiae, et perseverare debebant quamdiu voluntas hominis perfecte subderetur Deo; atqui, per peccatum voluntas hominis a divinâ subjectione recessit; ergo merito illa dona ablata sunt.

## II. *Effectus in Adae posteris.*

Effectus originalis peccati in Adae posteris possunt considerari sive pro praesenti, sive pro futura vita.

### 1. *In praesenti vita.*

82. *Primus effectus est amissio gratia sanctificantis.* De fide est, ex Conc. Trid. (*Sess. v, 2*) quod declarat, Adamum non solum sibi sed nobis amisisse gratiam seu justitiam originalem. Unde illa gratiae amissio est simul peccatum, et poena; quatenus habitualis aversio a Deo, est peccatum;— quatenus privatio doni antea concessi, est vera poena.

83. *Secundus est amissio donorum praeternalium quibus ornati fuerant protoparentes.* (**A**) Illud pariter constat ex Trid. declarante (*Sess. v, 1*; *Sess. vi, 1*) "totum Adam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse."

(**B**) Per amissionem donorum praeternalium homo dicitur vulneratus; vulnus enim est ruptio vel divisio partium unitarum; jamvero per peccatum originale potentiae animae,

quae antea erant perfecte unitae et ad invicem subordinatae, fuerunt veluti divisae et separatae; ergo homo merito dicitur vulneratus, quamvis integras conservet suas naturales proprietates et vires.

(C) Pro corpore, vulnera hominis lapsi consistunt in infirmitatibus, doloribus, laboribus, et tandem in morte.—Quatuor autem sunt animae vulnera: (a) *vulnus ignorantiae*, per quod intellectus ita debilitatur per comparationem ad statum justitiae originalis, ut difficile verum cognoscat, facile in errorem labatur, et ad res curiosas et temporales magis inclinetur quam ad res aeternas.

(b) *vulnus malitiae*, quo voluntas prona est ad mala, et ita debilitatur ut non nisi cum difficultate vitia superet virtutesque excolat; et e contra ad temporalia immoderate tendat.

(c) *vulnus infirmitatis*, quo appetitus irascibilis torpore laborat quando difficultates occurunt; et e contra est pronus ad irascendum.

(d) *vulnus concupiscentiae*, quo appetitus concupisibilis immoderate fertur ad bonum sensibile etiam contra ordinis rationem.

84. *Tertius effectus* est *dominatio daemonis* super genus humanum. Nam, ut ait S. Petrus (2 Ep. ii, 19) “a quo quis superatus est, hujus et servus est;” jamvero genus humanum superatum est a diabolo per peccatum originale; ergo genus humanum est aliquomodo sub potestate diaboli. Illa dominatio in eo consistit quod daemones possint multiplici modo nos tentare, imo corpora nostra obsidere, ut dictum est ubi de Angelis.

85. *Controvertitur* inter theologos utrum homo sit debilior in statu naturae lapsae ac fuisset in statu naturae purae.

(A) Quidam, inter veteres theologos, docuerunt naturales vires hominis per peccatum originale intrinsece minutus fuisse. Sed talis sententia rejicienda est; nam intrinseca imminutio non potest fieri nisi per detractionem alicujus perfectionis, vel per infusionem alicujus habitus inclinantis ad malum: atqui

utrumque repugnat; (*a*) prius, quia neque substantia neque facultates naturales humanae animae diminui possunt, quum sint aliquid debitum humanae naturae; (*b*) repugnat posterius, quia Deus non potest infundere in animam nostram aliquem habitum positivum ad malum inclinantem; secus enim esset auctor mali.

(*B*) Multi Thomistae, inter quos Goudin et Billuart, contendunt vires hominis naturales non quidem intrinsece minutus fuisse, sed solum extrinsece, eo sensu, scilicet quod sint in praesenti statu obstacula extrinseca quae non adfuissent in statu naturae purae, scilicet, tyrannis diaboli, aversio a Deo ut fine naturali, aliaque hujusmodi. Illa sententia probabilis est, imo admitti debet ab omnibus quoad tyrannidem diaboli: solummodo animadvertisendum est, illas diaboli impugnaciones compensari in praesenti statu per custodiam bonorum angelorum. Non autem constat homines fuisse, per peccatum originale, aversos a Deo ut fine naturali; nam homo naturaliter tendit ad Deum, et nil probat illam naturalem tendentiam per peccatum originale mutatam fuisse.

(*C*) Tandem Suarez, Bellarminus plerique theologi Societatis et alii docent vires naturales hominis neque intrinsece neque extrinsece diminutas fuisse, et hominem esse nunc in eodem statu ac fuisset in statu naturae purae,—cum illa exceptione quod nunc destinatus remaneat ad finem supernaturalem. Illa sententia nobis longe probabilior videtur, quia magis consonat cum notione originalis peccati supra tradita, ex qua videlicet, peccatum originale est mera privatio.

## *2. In altera vita.*

86. Effectus originalis peccati pro vitâ futurâ respiciunt solummodo pueros, vel amentes, qui sine baptismo, antequam ad usum rationis pervenerint, moriuntur; adulti enim vel convertuntur vel non: si prius, mundantur ab originali peccato; si posterius, damnantur propter peccata actualia quae commiserunt. Dicemus igitur quid sit status puerorum sine baptismo morientium quoad poenam damni, quoad poenam sensus, quoad naturalem beatitudinem.

*Quoad poenam damni.*

87. (**A**) *Thesis*: PARVULI VEL AMENTES, DECEDENTES CUM PECCATO ORIGINALI, VISIONE DEI INTUITIVA NON FRUENTUR. *De fide (a)* Dicit enim *Scriptura* “nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei” (*Joa. iii, 5*): atqui parvuli vel amentes de quibus agitur, non sunt regenerati per baptismum: ergo non possunt introire regnum Dei, seu frui visione beatificâ.

(**b**) *Conc. Florentinum* definit, “illorum animas qui in actuali peccato, vel solo *originali* decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.” Jamvero in inferno non datur visio beatifica: ergo. Notandum est autem vocem “*infernum*” non designare necessario illum locum in quo sunt damnati adulti, sed designare omnem locum coelo inferiorem, et comprehendere tunc Limbum, tum Purgatorium, tum infernum proprie dictum.

(**c**) *Gratia sanctificans* est medium necessarium ad visionem beatificam consequendam: atqui decedentes cum peccato originali non habent gratiam: ergo.

88. (**B**) *Controvertitur* inter theologos utrum decedentes cum peccato originali *tristitiam* habeant ex privatione visionis beatificae.

(**a**) Alii affirmant, quia illi parvuli aut amentes cognoscent se esse privatos maximo bono, et non poterunt non tristari de tali amissione.

(**b**) Alii vero probabilius negant cum S. Thomâ: nam nemo tristatur de ammissione alicujus boni quod non cognoscit: atqui illi parvuli non cognoscunt supernaturalem beatitudinem, quae non nisi per fidem innotescere potest; aliunde admitti potest ipsos non praesentes fore judicio generali, nec proinde cognitionem adepturos de visione beatifica aliis hominibus collata: verba enim a Supremo Judice prolata (*Matt. xxv, 42–46*) videntur ad solos adultos dirigi, quum mentio fiat tantum de actibus personalibus.

89. *Quod poenam sensus.*

*Controvertitur* utrum decedentes cum solo originali peccato poenam sensus, seu ignis, patiantur. (**A**) Quidam inter

Patres Latinos, praesertim S. Augustinus, qui tamen, postea rem dubiam reliquit, docuerunt illos parvulos poenam sensus, mitissimam tamen, experiri. Ratio est quia illi descendunt in infernum ; jamvero in inferno est poena ignis : ergo.

(B) Communissima tamen sententia, a Patribus Graecis et omnibus fere Scholasticis edocta, tenet illos parvulos nullomodo poenam sensus experiri ; et illa sententia tuto teneri potest, ut constat ex damnatione propositionis Synodi Pistoiensis, quae hanc sententiam reprobabat.

(a) Juxta *Scripturam*, acerbitas poenae sensibilis, quae existit in inferno, respondet delectationi culpabili, quae habita fuerit super terram, "quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum" (*Apoc. xviii, 7*) ; atqui parvuli et amentes, de quibus agitur, nullam delectationem culpabilem habuerunt in terra ; ergo. Confirmatur ex decreto Innoc. III : "Poena originalis peccati est carentia visionis Dei ; actualis vero poena peccati est gehennae perpetuae cruciatus."

(b) In inferno duplex est poena, scil. privatio visionis beatificae quae respondet aversioni a Deo, et poena sensus, quae respondet conversioni ad creaturas ; atqui illi de quibus agitur, sunt quidem in statu aversionis a Deo per peccatum originale, non autem sese converterunt ad creaturas ; ergo non debent experiri tormentum ignis.

#### 90. *Quoad naturalem beatitudinem.*

Controvertitur utrum decedentes cum solo originali peccato naturali beatitudine gaudeant.

(A) Multi theologi, etiam inter Thomistas, negant ; nam (a) ex Conc. Florentino illi in infernum descendunt, poenis disparibus puniendi : jamvero difficile est concipere quomodo possint simul puniri, poenam pati, et frui tamen beatitudine naturali.

(b) Insuper, juxta multos theologos, illi parvuli sunt aversi a Deo, non solum tanquam fine supernaturali sed etiam tanquam fine naturali ; atqui qui avertitur a Deo, in ordine naturali, non potest beatitudinem naturalem assequi.

(B) Alii autem, cum Suarez et Lessio affirmant; nam per peccatum originale homo destituitur quidem a bonis supernaturalibus et praeternalib; non autem a bonis naturalibus; nil igitur impedit quin naturalem beatitudinem consequantur qui cum solo originali decedunt. Aliunde, etiamsi fruantur illa beatitudine, possunt dici puniri, quia privatio visionis beatificae est poena ipsis inficta propter Adae peccatum.

*Quaestio solvenda:* Quomodo explicari possit Patrum axioma: "Hominem per peccatum originale fuisse gratuitis spoliatum et vulneratum in naturalibus?"

#### § IV. DE CONCORDIA ORIGINALIS PECCATI CUM RATIONE.

##### *Status quaestionis.*

91. Hucusque de peccati originalis existentia, natura et effectibus disputavimus; hic autem occurruunt Rationalistae et Unitarii, asserentes talem doctrinam esse omnino rationi oppositam, et peccatum originale repugnare tum in se, tum in modo quo transmittitur. 1. Repugnat in se, quia justitia Dei non potest permittere ut innocentes ob peccatum alienum puniantur,—nec sapientia ejus ut ob levissimam causam, genus humanum in deteriori conditione ponatur; nec ejus bonitas, ut per unum peccatum, tota natura humana corrumpatur.

2. Insuper repugnat quoad modum transmissionis, quia fieri nequit spiritualem maculam per generationem transmitti. Ad solvendas illas difficultates probabimus originale peccatum non repugnare neque in se, neque quoad modum transmissionis.

##### I. Non repugnat *in se.*

Doctrina catholica de peccato originali non repugnat divinis attributis, sed potest conciliari cum justitia, sapientia, et bonitate divina.

92. 1. Non repugnat *justitiae.* Ex dictis enim peccatum originale non est quid positivum, sed solum privatio gratiae et donorum supernaturalium seu rei indebitae; jamvero talis privatio non est injusta; si enim esset injusta, illud esset quia Deus jus non haberet conferendi illa dona modo conditionato,

vel quia conditio posita de facto irrationabilis fuit; atqui neutrum dici potest; nam.

(A) Deus poterat quidem gratiam et dona praeternalia homini tribuere *sub conditione*; siquidem illa dona sunt gratuita; salvâ justitiâ, Deus poterat illa conferre vel dengare humanae naturae; ergo a fortiori Deus poterat illa concedere sub aliqua conditione, scilicet sub conditione quod Adamus, caput morale nostrum, non peccaret.

(B) Aliunde conditio a Deo apposita fuit omnino *rationi consentanea*; sicut enim parentes in ordine naturali, posteris vitam et hereditatem transmittunt, ita pariter decebat, ut in ordine spirituali, vita et bona spiritualia per parentes nobis transmitterentur; et sicut parentes aliquando transmittunt morbum corporalem proli suae, ita pariter non est mirum quod, accedente lege Dei positiva, possint transfundere morbum spirituale, seu privationem gratiae. Deus igitur juste instituere poterat ut Adamus nobis gratiam transmitteret, sub conditione quod illam ipse servaret. Si de facto Adamus conditionem non implevit, hoc ipsi vitio vertendum est, non Deo.

### 93. 2. Neque *sapientiae*.

Peccatum originale Dei sapientiae repugnaret, si Deus, sive ante sive post lapsum, homini medium sufficiens ad finem suum supernaturalem attingendum non dedisset; sed hoc diei nequit: Deus enim conferendo protoparenti nostro potestatem nobis transmittendi gratiam, sufficienter et sapienter nobis providit medium ad finem nostrum supernaturalem attingendum; siquidem Adamus, propter eximias qualitates quibus ornabatur, facile omnino poterat servare praeceptum a Deo impositum, ac proinde gratiam servare posterisque transmittere; insuper, postquam Adamus, per suam culpam, incapax factus fuerit nobis transmittendi gratiam, aliud medium a Deo institutum fuit quo finem nostrum attingere possemus; ergo. Nec dicatur ob levissimam causam Adamum ejusque posteros fuisse graviter punitos; nam etsi comedio ligni prohibiti in se videatur quid levissimum, erat tamen, ex circumstantiis, gravissimum peccatum, ut supra probavimus, meritoque propter illud peccatum Adamus posterique ejus gratiam amiserunt.

94. 3. Neque *bonitati*.

Peccatum originale Dei bonitati repugnaret, si per illud totaliter corrupta esset natura humana, ut docent Protestantes; sed res non ita se habet; nam etiam post originale peccatum, homo integra servat sua naturalia, libere potest inter bonum et malum eligere et nihil amisit nisi quod ipsi indebitum erat. Aliunde in hoc maxime apparet Dei bonitas, quod instituerit remedium, quo maculam originalis peccati abstergere possumus, nec dubitaverit Filium Suum mittere in mundum, ut mundus salvaretur per ipsum. Itaque doctrina originalis peccati non debet seorsim spectari, sed quatenus connexa cum dogmate Redemptionis, et tunc merito cum Ecclesia exclamare possumus: "O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem!"

II. *Peccatum originale non repugnat ex parte modi transmissionis.*

Peccatum enim originale per generationem propagatur, non quidem eo sensu quod generatio ponat in anima maculam, aut habitum malum, sed in eo sensu quod per generationem producatur homo, qui, utpote Adami filius, deberet gratia ornari, et tamen ab ea privatur, ob culpam protoparentis; atqui hoc non repugnat neque ex parte Dei, neque ex parte parentum.

95. 1. Non *ex parte Dei*,—quia quando Deus creat animam, nullam maculam, nullum vitiosum habitum in eam infundit, sed illam producit talem qualis fuisset in statu naturae purae, ac proinde non potest vocari auctor peccati originalis. Si autem Deus animam creando, non infundit in ipsam gratiam sanctificantem hoc Adae tribuendum est, qui non servavit conditionem, sub qua talis gratia communicanda erat.

96. 2. Neque *ex parte parentum*:—parentes enim, dum generant pueros, opus ex se bonum faciunt, et si parvuli ab ipsis geniti nascantur gratia privati, et originali peccato infecti, illud non intenditur a parentibus, sed per accidens evenit non ex ipsorum, sed ex Adami culpa; atqui ut constat ex *Tractatu de actibus humanis*, licet ponere actionem ex se bonam, ad effectum bonum producendum, etsi ex ea sequatur per acci-

dens alius effectus malus; ergo parentes non peccant generando pueros, nec sunt auctores originalis peccati.

97. Ut omnia paucis verbis comprehendamus, haec statuenda sunt circa propagationem originalis peccati.

(A) Causa *efficiens moralis* unica illius peccati est voluntas peccaminosa Adae, qui egit ut procurator et caput juridicum totius generis humani;

(B) Causa *instrumentalis*, vel conditio sine qua non, est naturalis generatio, per quam efficimur vere filii Adae.

(C) *Subjectum* igitur sunt omnes et soli homines ex Adamo naturaliter geniti.

98. Ex dictis circa originale peccatum deduci possunt quaedam *corollaria*:

1. Si Eva sola peccasset, posteri non contraxissent originale peccatum. Nam Adamus solus, non autem Eva, constitutus est procurator noster, juxta illud "per unum hominem peccatum intravit in mundum;" igitur Adamus solus poterat agere nomine totius generis humani.

2. Si Adamus, ante peccatum, genuisset filios, illi eorumque posteri non contraxissent originale peccatum; nam tale peccatum non contrahitur nisi per generationem; igitur illi pueri, antea geniti in sanctitate, non potuissent amittere gratiam per Adami peccatum; quia gratia, semel habita, non potest amitti nisi propria voluntate.

3. Alia peccata Adami, si commiserit, non fuerunt transmissa ejus posteris, quia non erat caput morale nostrum nisi quoad unam rem, scilicet, transmissionem gratiae, et aliunde dignitatem capitatis moralis amisit statim post peccatum.

4. Hinc etiam intelligi datur cur Adamus non restauraverit posteris gratiam per suam poenitentiam. Siquidem per peccatum amisit munus et dignitatem Capitis moralis generis humani, et alius, scilicet Christus ipse, in ejus locum substitutus est ad redimendum totum genus humanum.

Ex quibus intelligi datur quanto odio peccatum mortale prosequi debeamus, quo primus colonus e paradiso ejectus fuit, et totum genus humanum ex statu innocentiae et felicitatis in lugendum miseriae statum projectum est.

